Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Peter Lauremberg

Euphradia: Sive Prompta ac parabilis Eloquentia : Cuius Praeceptis adiuti, tam docentes; quam discens studiosa Iuventus, Lectiones, Orationes, Discursus de quovis oblato Argumento, haut difficulter instituere, & ad alios habere poterunt. ; Addita sunt Exempla & Pericula extemporanea ...

Rostochi[i]: Rostochi[i]: Bibliopolium Hallervordianum: Reusnerus, 1638

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728212315

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728212315/phys_0001
DFG

Ac-3423.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728212315/phys_0002
DFG

EUPHRADIA:

SIVE

Prompta ac parabilis

Eloquentia:

Cujus Præceptis adjuti, tàm docentes, quàm discens studiosa Juventus, Lectiones, Orationes, Discursus de quovis oblato Argumento, haut difficulter instituere, & ad alios habere poterunt.

Addita sunt Exempla & Pericula extemporanea, quibus totum Artificium ob oculos ponitur.

Insuper

Accessit diligens Troporum & Schematum Explicatio.

AUTORE

PETRO LAUREMBERGIO,

Rostochiense.

ROSTOCHI,

Literis JOHANNIS REUSNERI,

Ex Bibliopolio Hallervordiano

ANNO M. DC. XXXVIII.

Ac-3423.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728212315/phys_0005

DFG


Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

PETRUS LAUREMBERG, Filio suo JACOBO S. salutem ab altissimo.

HAbes hic I. F. illam quoq; institutionis tuæ partem, quæ efformandâ eleganti & efficaci oratione occupatur, ansam & vehiculum, & ponam condam humanæ sapientiæ, cujus non solùm pascentes nos facit, sed etiam ut latissimè se diffundat & cum alijs communicetur. In hæc studia tantò immensiùs tibi erit incumbendum, quantò ab alijs vel negligentius, vel ineptius tractantur.

Queruntur homines, cur in hoc nascentium litterarum vigore, aut omninò pauci reperiantur Oratores aut multò inferiores antiquis? Quotusquisq; nunc est Demosthenis, seu Tullij ad summam processit? Nimirum pauci veram insistunt viam, quâ itur ad solidam Eloquentiam. Desciuit, dicente Fabio, & hæc, & artes cæteræ, ab illâ vetere gloriâ, non inepta hominum, nõ ingeniorum degeneri indõle; sed desidia juventutis, & negligentia parentium; & insciliâ præcipientium. Jamdudũ rectè usurpare desijmus ea, quæ in Oratorũ monumentis Veteres tantoperè admirabantur: proq; ijs ineptas quædam, trivialia, inutilia, sæpe etiam ridicula amplectimur. Hinc fit, ut qui hanc artem exercent, dum præcociter nimis, vel in forum properant, vel ad suggestum, loquaces quidem plerique videantur; ab Eloquentia tamen quam procul absint: Enimverò masculè sese Oratorum officium exsequutos opinati, si, quum idem idemq; dicant, perpetuo dictionem immutent, & inverrant faciem sermonis, rerum interim

zerim ita concinno ordine, & decoro apparatu facto, quasi unâ multa jura confundat Coquus. Est hæc infelicitas, & strenua ineptia, quâ sæculum præsens velut morbis laborat. Ast verò ne per similia avia & tu transversus agaris, Filî, id scilicet mea erit curatio. Iu velim Oratorem arbitrerîs, non qui præcepta Rhetorica tantum clamare; de Quæstionum differentiis, causarum generibus, cæteriq; illis toties decanatis, luxuriosè fabulari aut commentari norit: Sed qui, quotiescunque usus postulat aut res, ex omnium Materierum pulvillis nectere valeat floridam illam Eloquentiæ Corollam; fundere illum verulæ & Latinæ urbanitatis latium, delectabili, & apto, & docili, & spetioso ordine, neutiquam tumultuario fluentem. Huc oportebit te alacritatem tuam, labores, ingenium, memoriam, linguamq; conferre. Quod ut promptius & compendiosius possu, Præcepta hæc ad manus tuas depono, hortorq; serio, ut nocturnus diurnusq; sedulò verses. Ita fiet; ut DEO conatus tuos promovente, neq; me spes animo concepta, neq; te industria adhibita frustretur. JEsus Christus, qui puer nasci dignatus est, te omni fœlicitate sospitet; & tum annum hunc novum, qui in procinctu est; tum plures alios, pro misericordi sua voluntate, tibi Salutariter fluere patiatur. Rostochi I propridiè Natalitiorum Salvatoris Mundi cIↃ. IↃ. C. XXXII.

PETRI LAUREMBERGI EUPHRADIÆ PROLEGOMENA.

Unde dicitur Rhetorica?

Rhetorica dicitur à ῥέω fluo; quia facit orationem fluere instar suavis & limpidi fontis, & influere in animos auditorum. Appellatur aliàs *Oratoria*, & *Eloquentia*, ab Eloquio vel Oratione, quam conformem aptamq; reddit ad persvadendum & docendum.

Quomodo definitur Rhetorica?

Rhetorica prout aliter atq; aliter consideratur, ita etiam diversimodè definiri potest, 1. Absolutè; 2. Respectivè.

1. Absolutè & in se, qua possidet subjectum in quod agit, Animum scilicet auditoris: & Finem quem producit, nimirum persuasionem: & media quibus utitur, utpote ornatam, & affectuosam orationem, ita est ARS propriè dicta.

2. Respectivè seu relativè, quatenus famulatur aliis disciplinis, & Facultatibus, Theologiæ, Jurisprudentiæ &c. ita est Instrumentum, & organicus habitus, haut secus ac Logica, vel Grammatica.

Da Definitionem Rhetoricæ utroq; modo consideratæ.

Absolutè; Rhetorica est Ars, Oratione ornata & affectuosa auditores persuadens.

Respectivè. Rhetorica est habitus Organicus, serviens disciplinis, ad persuadendum & docendum.

Quod est objectum Rhetorices?

Omnis materia, seu quæstio, seu causa, de qua Orationes haberi, & auditores persuaderi possunt.

Quis est Finis Rhetorices?

Est Persuasio; id est, productio alicujus opinionis, aut cognitionis; quam ita procurat in animis auditorum Rhetor, quemadmodum Medicus in corpore humano sanitatem. Nec obstat quod orator non semper persuadeat, ut nec Medicus semper sanat. Satis est si omnem suam actionem & operam illuc, tanquam ad internum & ultimum finem, dirigat.

Quæ

Quæ sunt Instrumenta Rhetorices?

Instrumenta Rhetoris, quibus ceu faber malleo, utitur, sunt Loci Topici; nec non quæ vulgo dicuntur partes orationis Rhetoricæ, Inventio, Dispositio &c. Item Tropi & Figuræ.

Ex quibus constat ornata Oratio?

Totum illud artificium, quod vocamus Eloquentiam, vel Oratoriam, absolvitur Tribus capitibus. Rebus: Verbis: Methodo: seu Materia, Formâ, & utriusq; dispositione.

I. Res, seu Materia subjecta, de qua Orationes habendæ, dicitur quæstio, Thema, Genus causæ. Hæc pars facultatis Oratoriæ præsupponitur. Nam qui de Rebus Politicis, Ethicis, Theologicis &c. verba facere discupit, eum decet jam ante in iis, si non accuratè, saltem mediocriter versatum esse. Quæritur enim hic non ἐπιστήμη, sed τρόπος ἐπιστήμης.

II. Verba, seu Forma orationis, seu stylus, seu phrases, sunt quasi amictus, quo res indutæ eleganter proferuntur. Stricto nomine hæc dicitur oratio, & vendicat sibi nomen totius. Etiam verborum acquisitionem & disciplinam primò & præcipuè oratoria non profitetur. Is labor partim ad Grammaticum, partim ad Philologum per-

tinet. Hic solum docetur modus, Phrasibus appositè utendi, & eas applicandi. Veluti qui equitare satagit, eum equo instructum esse esse oportet; qui navigare, navi; qui fabricare, securi: Haut secus oratoriam exercituras, ansas possidere debet, id est, phrases & verba, quæ sunt organa & causæ, sine quibus non.

III. Methodus est, per quam Rerum & Verborum series disponitur; cujus adminiculo istorum, alioquin confusus apparatus, animo apprænhenditur, & iterum depromitur. Hæc Methodus est anima hujus artificij, & caput præcipuum oratoriæ.

Quotuplex est Quæstio?

Duplex: Generalis seu Infinita, θέσις: Et specialis, Finita, ὑπόθεσις. Infinita (θέσις) est quæ in genere aliquid proponit absq; circumstantia personæ, loci, temporis &c. ut: *An peregrini recipiendi in urbem?* Finita (ὑπόθεσις) est, quæ individuo alicui certo applicat generalem θέσιν, ut, *An dux Fridlandensis sit recipiendus intra Mœnia Rostochij?*

Quot sunt in Rhetoricâ genera Quæstionum vel Causarum?

Quatuor I. *Explicatorium*, διδασκάλικον: quò pertinent omnia illa, de quibus docendi sunt

sunt homines, in Academiis, Templis: quæ continent interpretationem, explicationem, discursum vel de simplici Themate, ut *de virtute*, *de cælo*: vel de Themate conjuncto, id est, quæstione aliqua, nudæ contemplationis, ut *An mundus sit æternus?*

II. *Demonstrativum*, παναγυρικὸν, quod complectitur laudem aut vituperium rerum: ut *de laudibus Asini*: *de vituperio divitiarum*. Huc spectant inprimis orationes funebres: Programmata Exequialia.

III. *Consultatorium*, Deliberativum, quò pertinent problemata practica, id est, consultationes de rebus faciendis, vel ipso opere exequendis: Ut *præstetne literis operam dare, an mercaturæ? An bellum gerendum?*

IV. *Judiciale*, quod spectat ad forum, & litigia, & actiones ac judicia forensia.

Hæc quatuor summa genera, non ineptè quis vocet prædicamenta Rhetorica. Nam ut Logica omne Ens, Imperio suæ disciplinæ subjectum, includit decem categoriis; sic Rhetorica ad quatuor genera causarũ refert, quidquid est rerum, aut materierum, de quo orationes institui possunt.

Quot sunt Partes Orationis Rhetoricæ?

Quatuor. 1. Inventio. 2. Dispositio. 3. Elocutio. 4. Pronunciatio.

Ex his Inventio versatur præcipuè circa Rem seu materiam orationis. Elocutio circa Formam, id est Phrases & Verba. Dispositio & Pronuntiatio circa utrasq;. Adjungunt plærique *Memoriam*. Sed memoria pars orationis neutiquam est, cum peculiarem constituat artem Mnemonicam, haut secus, ac Ratio & Intellectus dirigendus in rerum cognitione, Logicam: Oratio congrua, Grammaticam: Ornata Rhetoricam. Eamq; artem memorialem Cicero peculiaribus præceptis prosecutus est. Ut non dicam, ex sexcentis oratoribus, ne unum memoriter perorare: qui nihilominus juxta præcepta Rhetorices, se orationes suas construxisse, & pronunciasse gloriantur.

Quomodo dividitur Rhetorica?

In partem communem & propriam.

Communis est, de quatuor causarum generibus, & harum artificiosa tractatione.

Propria est de Tropis & figuris in specie.

PARS RHETORICÆ COMMUNIS.

I. DE INVENTIONE

Quid est inventio?

Est Argumentorum, ad ornatè dicendum, ac persuadendum, excogitatio.

Unde

Unde petuntur Argumenta?

Ex Topica, id est, ex Locis Dialecticis.

Quotuplices sunt loci?

Duplices: Inartificiales, & Artificiales. Inartificiales sunt Testimonia, & Auctoritates virorum fide dignorum.

Artificiales Loci sunt plures, ut Totum, Partes, Genus, Definitio: similia: contraria &c. de quibus ex professo agitur in Dialectica, & nos egimus in Cynosurâ bonæ mentis, unde ea depromi convenit. Hîc præsubsternuntur tanquam præcognita.

II. DE DISPOSITIONE.

Quid est Dispositio?

Est per quam Integra Oratio, eleganti & convenienti ordine disponitur.

Sicuti in bello milites in certas Decurias & acies disponuntur: ita omne argumentum omnisq; materia, quæ ornata oratione explicari postulat, includenda venit certis classibus, & in suas quasi acies disponenda. Hac ratione non solum promptè distincteq; animo comprehendetur, sed & eleganti ordine digeri, & sede sua nativa partes collocari possunt.

Quot sunt Partes Integrantes Dispositionis?

Quinq;: 1. Exordium; 2. Propositio. 3. Narratio seu Confirmatio. 4. Confutatio. 5. Peroratio.

Has quinq; partes ordine deducemus per quatuor causarum genera: exorsi à genere Explicatorio.

I. DE GENERE EXPLICATORIO SEU DIDASCALICO

Quotuplex est Subjectum Generis Explicatorij?

Triplex. I. Historia tam vera, quam ficta.
II. Sententia, γνώμη: vel Apophthegma, χρεία.
III. Thema quodvis, simplex aut compositum: Simplex, ut *Virtus*: *Respublica*: compositum seu Conjunctum, ut, *An Sol sit præditus anima quadam?*

Unumquodq; horum, aliquas adhuc varietates subit. Nam vel simpliciter recensentur: vel narrata destruuntur, seu refutantur: aut contra astruuntur, seu defenduntur.

NOTA. Quæ nimis sunt cognita, veraq;

raq; esse ab omnibus noscuntur, ea astruere stultitia est. Econtra, quæ nimis falsa & fabulosa esse, ab omnibus deprehenduntur, (ut fabulæ Æsopi) ea etiam destruere, similis est ineptia. Quæ medio se modo habent, probabilia, in his locum habent assertio & destructio.

I. DE EXORDIO EXPLICATORIO, prima parte Dispositionis.

Quid est Exordium?

Præloquium vel Exordium idem est in oratione, quod προαύλιον, aut præcinium in Musica: Præambulum in chorea: προγύμνασμα in pugilatu. Hoc eo fine præcipue adhibetur, ne sermo ex abrupto, quasi DEUS aliquis ἀπὸ μηχανῆς irruat in aures auditorum, id quod prorsus stultum est, & sine gratia. Scilicet deliniendi sunt, atq; ad attentionem excitandi auditores, ut aculeum eò altius in eorum animis defigat, & relinquat secutura oratio.

Unde desumitur Exordium in genere Explicatorio?

Cum multiplex sit materia generis Explicatorij, Exordia etiam diversa esse consue-

verunt: Quædam generalia fieri possunt, applicari nata omni materiei: Quædam speciatim, Fabulis, Sententiis, Thematibus appropriata.

EXORDIA GENERALIA.

Exordia generalia desumi possunt è sex hisce locis.

1. A circumstantia Personarum, tam ejus qui dicit, quam eorum qui audiunt.
2. A circumstantia Loci & temporis.
3. Ab Apophtegmate, vel sententia, quæ conveniat proposito nostro, quam & amplificare nonnihil oportet, & ejus causam adjungere, & demum applicare nostræ Intentioni.
4. A Similitudine.
5. A Dissimili.
6. A Transitione.

Exempla singulorum adjungimus.

I. A Circumstantia Personarum.

1. *Intelligo vobis ita placere, ut Oratiuncula quadam extemporanea specimen edam qualiscunq; mei profectus: id vero lubente animo facturus sum.*

2. *Quoniam me jubetis aliquid proferre in medium, quanquam parum instructus sim ad eam rem, tamen par est me voluntati vestræ obsequi.*

3. *Quamvis non deceat me, neq; ætate sat firmum, neq; eruditione sat instructum verba facere, in præsen-*

præsentia tantorum virorum; tamen quia vobis est ita volentibus, ut aliquid dicam, haut invitus vobis morem geram.

4. Prodeo in publicum, non ex privato consilio, sed jussus & ablegatus ab iis, quorum voluntas mihi pro lege est; quibus refragari neq; debeo neq; possum.

5. Quod hanc in me provinciam suscepi, neq; id factum ingenij ostentandi gratia, (quod fateor mihi tenue esse & populare) neq; ut eloquentiam meam faciam commendabilem; (abea enim per naturam me alieniorem experior) sed mei solius exerçendi ergo. Enimvero non sum nescius, ferrum nisi exerceatur à rubigine infici: si usurpetur, dari in splendorem: scio aquas non motas facilè putrescere: si agitentur manere salubres.

6. Cum hactenus nihil mihi prius fuerit, quam ut pro parte mea virili, studia vestra, adolescentes ingenui, promotum irem; tum nunc quoq; & imposterum, omni industria in id incumbã, ut à vultu atq; ex conspectu meo eruditiores discedere possitis. Cogitanti vero mihi, quid hoc potissimum tempore vobis proponendum & cum fructu studiorum vestrorum tractandum foret, nihil visum est aptius quam &c.

7. Petistis à me, viri juvenes, ut vobiscum communicarem Rationem & methodum, quâ adjuti orationes, de quovis oblato argumento, tum habere ἐκ τοῦ παραχρῆμα: tum litterarum monumentis consignare possitis: Ego vero, & hanc libenter vobis

bis gratiam gratificabor: & hæc, aliaq; bella litteraria, in spem vestri emolumenti, militare non intermittam.

II. A Circumstantia Loci & temporis.

1. Cum consuetudo nobis sit, hisce diebus, hoc in loco oratiuncula quadam excipere præsentes auditores, libenter equidem, & haut gravatim, huic consuetudini me conformem præbebo.

2. Ita sanè præsentis hujus diei constitutionem exposcere, & augusti hujus loci, quem conscendi, rationem postulare video, ut & ego in commune aliquid conferam, ad exornanda celebris hujus actus solemnia:

3. Antiqua consuetudine sancitum est, ut eo, quod mihi injunctum est, munere functurus, præliminari aliquo sermone aures animosq; auditorum occupatos teneam, verba faciens, de re aliqua jucunda ac utili. Hunc laudabilem morem ut & mihi commendatum habeam, jus ac æquitas postulat: necessitas imperat.

III. Ab Apophthegmate vel Sententia.

1. Archidamus videns filium suum cum Atheniensibus juveniliter ac temere congredientem, Exclamasse dicitur, Aut viribus, ô fili, adde, aut animis adime. Vehementer metuo, auditores, ne idem, in

ô me, vestrum aliquis, dixerit, qui eam confidentiam sumpsi in pectus, ut coram vobis verba facere audeam: Sed recreat me benignitas vestra, quâ fretus &c.

2. Cum Alcibiades natura meticulosior vehementer trepidaret, verba facturus ad plebem, aggressus est illum Socrates hoc alloquio: Putasne, inquit, ô Alcibiades, contemnendum esse Sutorem? Annuit Alcibiades: Annon Oenopolam? Cum & hîc annuisset: Annon contemneres, inquit, fabrum lignarium? affirmavit itidem. Tum Socrates, Atqui, inquit, ex his constat Athenienſium populus, quem tu vereris. Quare si singulas partes contemnendas putas, qui minus contemnas universos? Ego verò auditores, quanvillus præ Alcibiade, verba facturus ex loco tam illustri, non ad Sutores, aut Oenopolas, aut fabros, sed viros omni eruditione illustres, quantopere putatis, animum meum perculsum verecundia & timore justo?

3. Antiqvum est Verbum, Auditores, quod & apud Horatium legitur, in Epistolis; Metiri se quemq; suo modulo ac pede fas est: quo significatur, decere quemlibet se intra mediocritatis suæ sortem continere, nec aliquid conari, quod viribus sit impar. In hoc præceptum non injuria peccare videbor, dum nec ab annis, nec eruditione, nec eloquentia instructus, audeo in conspectum vestrum prodire. Sed spero me veniam impetraturum, ab humanitate vestrâ.

4 Verba

4. *Verba ad vos hac vice facturus de &c. Ut ad primo statim limine versu Virgilij, qui in Georgicis legitur,* Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas. *Eo indicare voluit admirandus Poëta, illum inter cæteros mortales Diis chariorem, adeoq; fortunatiorem esse, qui Rerum (naturalium, politicarum &c.) rationes ac causas perscrutatur sedulò, ac intelligit sapienter. Sententia nobis est, hujus felicitatis aliquam particulam aucupari, & præsenti hora anquirere ex Physicis &c.*

IV. A Similitudine.

1. *Quemadmodum illi, qui natare nesciunt, suberes, aut juncos, pectori, brachiisq; supponunt, ne subsidant; atq; ita paulatim natare discunt: Eodem modo adolescentes periculum faciendo, & tentando, vires suas exercere solent prius, quam animum applicent ad altiora & difficiliora. Eam consuetudinem cum videam ex re studiorum meorum esse, ut imiter; conabor levi quodam tentamine oratorio memet exercere, quo paulatim sine cortice natare, & ad altiora provehi assuescam.*

2. *Quemadmodum illi, qui Basilicas ædes sunt ingressuri, in vestibulo subsistunt aliquantulum, & prothyria ac antepagmentorum ornamenta contemplantur. Ita mihi pedem conferenti ad* (Jurisprud. Med. Phys. &c.) *celsissimum ædificium, commorandum paulisper erit, in primo limine, & oratione anteambula dispiciendum, &c.*

3. *De Ulysse commemorat Homerus, quod cum ad Alcinoi aulam pervenisset, priusquam tecta palatij Regij subierit, in primo limine fixerit pedem, & oculis animoq; curiosis aspexerit murum æneum, postes ex auro, & Lapide Cyaneo ad miraculum elaboratos: Ad eundem modum & ad idem exemplar, nos ingressuri posthinc favente Numine, penitiora penetralia* (Logic. Physic. Theol. &c.) *subsistemus paululum in frontispicio, & prolegomena contemplabimur.*

4. *Quemadmodum viatores in conficiendo itinere, non semper currunt, neu indesinenti ambulatione sese exercent, sed & quiescunt interdum, & grata refectione, moràq; recolligunt anhelitum viresq;. Haut aliter nos quoq; curriculum nostrarum lectionum interrupimus aliquamdiu, quiete & mora aliquot dierum, pro veteri hujus Academiæ consuetudine. Nunc iterum revertimur ad iter solitum, & orbitam laborum, quam decurrere cœpimus.*

V. A Dissimili.

1. *De Socrate narrant Historiarum scriptores, eum maximam laudem commeritum, quod Philosophiam ex astris detraxerit terram versus, id est, à rerum cœlestium contemplatione abductos animos exercuerit Rebus, ad civilem societatem pertinentibus. Nos hac vice contrario conatu, & studio*

prorsus

prorsus dissimili operam nostram occupabimus, avocaturi mentes nostras à rerum terrenarum contemplatione: & exercitaturi ingenium in pertractanda (cœli, &c.) natura & constitutione, quo facto speramus & nos, si non summæ laudis compotes, saltem vobis auditores, studiisq; vestris non inutiles aut infructuosos futuros.

2. Disserturo mihi (de Rerump: speciebus &c.) convenit esse dissimillimo Artaxerxis, quàm Plutarchus narrat, non alias adorasse DEAS, quam solam Junonem, Reginam omnium. De cæteris non fuisse sollicitum. Nos verò non solum (Monarchiam, Metaphysicam) Reginam cæterarum, sed & (Aristocratiam &c. Rhetoricam &c.) quæ sunt quasi Deæ minorum gentium, in aliquo ponimus pretio &c.

VI. A Transitione.

1. Hactenus operam nostram locavimus explicandis illis, in quibus posita est basis ac fundamentum (Phys. Log:) Nunc industriam nostram exposcit alia sollicitudo, scilicet &c.

2. Satis diu hæsimus in explicand' prolegomenis. Imposterum usus postulat & res cominus aggrediamur ea, quæ propius tangunt nervum propositi nostri.

EXOR-

EXORDIA SPECIALIA.

Quomodo fiunt Exordia Specialia, pro historiis, fabulis, sententiis, Apophthegmatibus?

Horum vel astructio capessitur, vel destructio: utraq; iisdem Legibus regitur, sed oppositâ ratione. 1. In astruendis illis Exordium capitur. 1. A laude autoris, 2. ab utilitate in vitâ, item à laude virtutis, & sapientiæ, quæ adumbratur in propositâ historiâ, fabula &c. 2. In destruendis illis, Exordium petitur, 1. A vituperio autoris. 2. à turpitudine, aut vitiorum ansâ, quam subministrant.

In Fabulis Exordium hoc dicitur προοίμιον.

Exemplum Fabulæ â Laude autoris.

Inter antiquos fabularum scriptores, nescio an quisquam cum Æsopo Phryge conferri mereatur, cujus tanta fuit sapientia, ut ejus scripta, jam à tot seculis in honore habita, in sinu & oculis gestata fuerint. Is Æsopus saluberrima occultavit virtutum præcepta sub velo fabularum, inter quas non infimi census ea est, quam commentus fuit de Cicadis & Formicis.

Exemplum Historiæ à vituperio auctoris.

Herodotus Græcus Scriptor, quamquam Orationis stylique præclarum nomen indeptus sit, tamen historiis suis tam multa passim fabulosa, absurda, & incredibilia immiscuit: plurima perperam, & falsò enarravit, ut Plutarchus gravissimus auctor, peculiari libello, eum reum egerit ac damnaverit κακοηθείας, erumpens in apertam hanc vocem. Ei, qui omnia Herodoti mendacia recensere velit, opus esse integra librorum plaustra sarcinare. Is ipse Herodotus inter alia commemorata anilia, obtrusit quoq; posteritati historiam de Arione musico.

Exemplum Chrejæ ab Utilitate.

Cum multa præclara ab antiquis Philosophis ad vitam moresq; informandos, ad eruditionem acquirendam utiliter & sapienter dicta, scriptaq; sint, tum vehementer dubito, an quidquam salutarius, & excellentius, quam cedro dignum illud Isocratis effatum: Radices eruditionis amaras esse, Fructum verò melle dulciorem.

II. DE PROPOSITIONE DIDASCALICA, secunda Parte Dispositionis?

In quibus consistit Propositio?

In tribus. 1. Certiorem reddimus auditorem

tem de te, quam oratione explicare proposuimus: sed succisa, & pressa, id est, brevi orationis serie. Præmittitur igitur, explicatio, aut paraphrasis ejus, de quo dicturi sumus. 2. Adjungitur honesta tenuitatis nostræ Excusatio. 3. Petimus ab auditoribus attentionem: pollicemur brevitatem, & perspicuitatem nostri discursus.

Exempla.

I. Brevis commemoratio Propositi.

1. *Ajo, summam ac argumentum orationis meæ fore, historiam ab Herodoto descriptam, de Arione Citharœdo, quo pacto is à nautis proditoribus in mare projectus, sumpta in manus Citharâ, & excitato cantu delectabili, ita demulserit Delphinos, ut ipsum humeris susceptum, salvum & illæsum detulerint ad littora. Hoc merum esse figmentum, alienum ab omni probabilitate, demonstrare vobis paratus sum.*

2. *Hac sua γνώμη* (studiorum radices amaras, fructus dulces esse) *illud præcipere, innuere, & docere voluit Isocrates: Prima eruditionis rudimenta, principiaq; studiorum, laboribus ac difficultatibus plurimis obnoxia, subjectaq; esse: plena molestiarum, & incommoditatis; sed postquam quis hæc superaverit, (Labor improbus omnia vincit) finem & exitum optatissimum, plenum honoris ac vo-*

luptatis subsequi, & solida fœlicitate compotes facere eos, qui non gravati fuere, hanc semitam ingredi, strenuèq; calcare. Hanc Isocratis Gnomen auro contra pretiosam, aliquanto dilucidius vobis enucleare, & ob oculos ponere constitui.

3. Constitui apud animum meum hac vice explicatam vobis dare Indolem, & naturam, & mores, ac proprietates, Tyranni, Gallinacei &c.

4. Non detinebo vos prolixiori antiloquio, sed primo congressu invadam in arcem rei & propositi mei. Auctor est Diogenes Laërtius, Zenonem Stoicum, adolescenti cuidam conquerenti, quod Philosophorum dicta nimis essent brevia, hoc reposuisse. Non dicta solum, ô adolescens, sed ipsas quoq; syllabas, quas Philosophi proferunt, compendiosas & breves esse oportet. Eo voluit indicare Stoicus, debere Philosophos studiosos esse, concisæ & compendiosæ orationis, eamq; non solum in verbis, quod fieri aliquo modo posset, sed etiam in Syllabis consectari. Id verò neq; decere elegantes Philosophos, neq; ex re ac commodo auditorum esse, demonstratum vobis dare conabor.

2.3. Petitio & Excusatio sui.

1. Rogatos autem vos volo, ut faciles aures, & faventes animos mihi accommodare, & orationem neq; eruditam, neq; disertam, æqui bonique consulere dignemini.

2. Ore

2. Oro vos etiam atq; etiam, ut aurium vestrarum operam mihi dare, & quæ prolaturus sum, in meliorem partem interpretari velitis.

3. Si possum apud vos impetrabilis esse, rogo ut mihi benevolè auscultare, & , si exspectationi vestræ Oratio mea non respondebit, veniam dare dignemini.

4. Cæterum an voto & exspectationi vestræ satisfacturus sim, vehementer dubito. Si præsentis actus celebritatem, judicij vestri gravitatem æstimare quis voluerit, fateor nihil nisi sublime, & exquisitè eruditum huc afferri oportere. Tamen fretus humanitate vestra, animum obdurare constitui. Et si unquam faventiam vestram aliis benevolè accommodastis, obnixè rogo, ut sermonem meum, rudem, & ineruditum facilibus auribus, & placidis animis excipere dignemini.

5. Ego verò, auditores, fateor ingenij mei imbecillitatem: nimisq; mihi conscius sum tenuitatis meæ; quippe qui nunquam antehac verba facere consvevi, coram tam frequenti consessu. Nihilominus fretus eâ humanitatis vestræ aura, quam experti sunt sæpenumero alij ex hoc loco orantes, quanto possum opere vos rogo & obsecro, ut per semihorium, vacivas aures mihi accommodare, animis lingvisque favere, id est, operam aurium & mentis mihi prothymè largiri dignemini.

NOTA. Exordium fuit accuratius tra-

candum, quia est ceu orationis totius caput. Id si decorè fuerit conformatum, autoritatem & gratiam inde consequitur reliqvum corpus: Non secus ac quem hominem prima vice vel ebrium videas, vel delirantem, aut etiam econtra, prudentem, modestum; talem fere eum esse imposterum judicas.

III. DE CONFIRMATIONE, seu NARRATIONE, seu EXPLICATIONE Didascalicâ, tertia parte Dispositionis.

Quid est Confirmatio?

Est ipsa argumenti propositi ad dicendum expositio. Dicitur enim confirmatio καθολικῶς, quæcunq; propositi argumenti explicatio, seu ea nuda sit declaratio; seu etiam propriè dicta probatio. Cum historiam aut fabulam narramus, dicitur Narratio. Cum Sententiam, aut Apophtegma, Confirmatio; cum Thema, Explicatio.

Subjecta generis Didascalici, paulò ante recensita, fuere hæc quatuor.

1. Simplex Narratio.
2. Narratio destructa, vel econtra defensa.
3. Sententia aut Chreja, astructa vel destructa.

4. Thema-

4. Thematis simplicis & compositi assertio, aut destructio.

Horum omnium Tractationem ordine aggredimur.

I. DE SIMPLICI NARRATIONE Historiæ veræ, aut fictæ.

In quibus consistit Historiæ veræ, aut falsæ, seu Fabulæ Narratio?

In Tribus. 1. In nominum Propriorum, quorum fit mentio, exacta recensione.

2. In Phrasium, illic usurpandarum curioso delectu, & annotatione.

3. In divisione totius Historiæ, in certas partes, seu Paragraphos.

I. Exemplum: In historia Arionis, quam ex Herodoto, ita fere transtulit A. Gell. l. 16. c. 19. Noct. Att.

Vetus & nobilis Ario, *cantor fuit*, *quem* Rex Corinthi Periander, *amatum habuit artis gratia. Is inde à Rege proficiscitur*, Siciliam *atq;* Italiam *visere. Ubi eò venit*, aures mentesq; omnium demulsit: fuitq; *illic* in quæstibus, nec non voluptatibus *hominum. Postea* grandi pecunia copiosus *Corinthum instituit redire. Navem igitur & Navitas, ut notiores sibi Corinthios delegit. Sed hos homine accepto*, naviq; in altum prove-

ctâ, *prædæ cupidos* cœpisse consilium de necando *Arione*. *Tum illum ibi, pernicie intellectâ, pecuniam cæteraq; sua, ut haberent dedisse*, vitam sibi *modo ut* parcerent *oravisse*. *Navitas precum ejus commisertum esse illac renus, ut illi* necem afferre *per vim* suis manibus temperarent. *Sed imperaviſſe, ut jam statim coram* desiliret præceps in mare. *Homo, inquit, ibi territus, spe omni vitæ perdita, id unum postea oravit, ut* priusquam mortem oppeteret, *inducere, permitterent, sua sibi* indumenta & fides capere, & canere carmen *casus illius sibi* consolabile. *Feros navitas prolubium tamen audiendi subiisse. Quod oraverat, impetrat, atq; ibi mox de more* cinctus, amictus, stans in summa puppi, carmen *quod* Orthium *dicitur*, voce sublatissima cantavit. *Ad postrema cantus, cum fidibus ornatuq; omni*, jecit sese procul in profundum. *Navitæ haut quaquam dubitantes quin perüsset*, cursum quem *facere* cœperant, tenuerunt. *Sed novum & mirum facinus contigit.* Delphinum *repente* inter undas adnavisse, *fluctantiq;* sese homini subdidisse, *incolumemq; eum corpore, & ornatu* Tænarum *in* Terram Laconicam *devexisse. Tum Arionem, ex eo loco Corinthum petivisse, talemq; Periandro Regi* qualis Delphino vectus fuerat, inopinanti sese obtulisse, *eiq; rem sicut acciderat, narravisse. Regem isthæc parum credidisse. Arionem quasi falleret custodiri jussisse.*

jussisse. Navitas requisitos, *ablegato Arione*, dissimulanter interrogasse, *ecquid audissent in iis locis, unde venissent super Arione? Eos dixisse, hominem cum inde irent, in terra Itala fuisse*: *Illic* bene agitare, in delectationibus urbium florere, & in gratia magna fortunatum, & in pecunia opulentum esse. *Tum inter hæc eorum Verba Arionem cum fidibus, & indumentis, cum quibus* se in salum ejaculaverat, *exstitisse*. *Navitas* stupefactos, convictosq; ire inficias *non quiisse*.

Prædictorum trium applicatio.

1. Nomina hic sunt, *Arion Citharædus*. *Periander Rex Corinthi, Sicilia, Italia*. *Nautæ Corinthij*. *Carmen Orthium*. Hæc *Tenarus*; promontorium Laconiæ.

2. Phrases elegantiores, & huic narrationi necessariæ, notatæ sunt peculiari charactere.

3. Partes historiæ possunt esse hæ.

1. *Italiæ perlustratio.*
2. *In navim Ingressio.*
3. *In mare præcipitatio.*
4. *A Delphinis vectio.*
5. *Coram Rege exhibitio.*

Potesne aliter tractari fabula?

Potest etiam reduci ad hæc quinq; capita, quæ sunt. 1. Commemoratio, & descriptio

personarum, ut hominum, animalium, plantarum, &c. quæ aliquid dixerunt aut fecerunt.

2. *Tempus* quo accidit.

3. *Locus* ubi factum.

4. *Causæ:* qua Commoditate, occasione, auxiliis, ob quem finem?

5. *Facti* species, & exitus.

II. Exemplum in Fabula de Cicadis, & Formicis.

Cicadæ animalcula satis cognita, tum à strepera alarum agitatione, qua quasi cantum aliquem edere videntur, tum à subsiliente gressu, qui illis naturalis, (unde à nobis Germanis Sprenger *appellantur) æstivis temporibus, cum agricolæ demetendis & in horreum convehendis frumentis occuparentur, pro more suo continuis cantationibus indulgebant, nihil sollicitæ de futuræ hyemis asperitate, & alimentorum provisione. Formicæ verò, bestiolæ quamvis exiles, & contemptæ, totam messem sedulæ & operosæ erant in colligendis granis frumentorum, quæ admirabili industriâ convehebant in cuniculos suos, & curiosè asservabant, providæ scilicet, rerum suarum; ut esset, quo adventante hyeme vitam sustentarent, & famem solarentur. Ibi elapsa æstate hyemeq; jam ingruente, formicæ quidem apparatu cibario instructæ, fruebantur rebus partis, in otio felici. At cicadæ famelicæ, pressæ alimentorum inopia, subsidium*

sidium escarium petebant à formicis, rogabantq; ut succurrerent fami suæ. Verum non solum nihil impetrabant, sed & hoc dicterio elusæ sunt. Vos, si per æstatem cantastis, nullam gerentes curam rei familiaris, jam per hyemem saltate, & Choræas ducite; atq; hinc famem vestram solaminor.

Applicatio prædictorum quinq; capitum.

1. *Personæ.* Cicadæ cognitæ strepitu alarum, & subsaltatione continua. Formicæ bestiolæ exiles sed diligentes.

2. *Tempus.* Accidit æstate, ut Cicadæ cantarent, formicæ grana colligerent, sed contra cicadæ hyeme egebant, formicæ cibis affatim erant instructæ.

3. *Locus.* Hæc evenerunt æstate in agris, ubi commune diversorium habebant hæc animalia inter segetes. Hyeme vero in cavernulis quæq; suis.

4. *Causæ.* Cicadæ necessitate coactæ; fame impulsæ, auxilij & alimenti petendi gratia accesserunt formicas.

5. *Facti species*, & eventus. Ibi Cicadæ derisæ, à formicis audire coactæ sunt hanc exprobrationem; si cantastis æstate, hyeme saltate.

II. De

II. De Historiæ narratæ Destructione, & Astructione.

Quomodo historia, aut Fabula destruitur, vel astruitur?

Eadem est Methodus utriusq;, tam destructionis, quam astructionis; sed per contraria capita instituta. Perficitur autem tractatio sequenti ratione.

I. In Destructione.

1. Demonstratur Facti τὸ ἀσαφὲς, quod sit obscurum, incertum, falsum.

2. Τὸ ἀπίθανον, quod sit incredibile, absurdum, alienum à probabilitate, à sensibus, à communi hominum Judicio.

3. Ἀδύνατον, quod sit impossibile, qvum ejus nec causæ, nec modus, nec ullæ circumstantiæ, esse, aut fieri possunt.

4. Ἀνακόλουθον, quia sit inconsequens: autorem sibipsi contradicere; neq; cohærere, rei propositæ, antecedentibus, consequentibus, causis.

5. Ἀπρεπὲς, quod sit indecorum, inhonestum; quod pugnet cum verbo DEI, cum Legibus, cum Natura: non conveniat Personæ.

6. Ἀσύμφορον, inutile: non necessarium; ineptum ad movendum hominem.

I. In

I. In Aſtructione.

1. Quod factum ſit ἰσαφὲς, manifeſtum, ſpectatis circumſtantiis perſonarum, loci, temporis &c.

2. Πίθανον, à vero non abſimile.

3. Δύνατον, quod potuerit fieri.

4. Ἀκόλουθον, quod res tota probè cohæreat, ſpectatis adjunctis, antecedentibus, conſequentibus.

5. Πρέπον: quod ſit virtuti conſonum: non adverſetur verbo Dei, Legibus naturæ.

6. Σύμφορον: quod ſit utile ad mores informandos: ad virtutem: quod ſit jucundum, honeſtum.

I. Exemplum deſtructæ Hiſtoriæ de Arione.

1. Ab obſcuro. *Principio ne quid dicam de toto hiſtoriæ contextu, in quo plurima obſcura, incerta, imò penitus falſa depræhenduntur, non abſimilia Ovidianis transformationibus.*

2. Ab incredibili: *Illud ſaltem conſideretis velim, anne credibile ſit, tantam in hominem cadere canendi excellentiam, ut etiam in ſtuporem adigat beſtias carentes ratione? Quis crederet Arionem in*

tanta

tantamentis consternatione attonitum, vel voluisse, vel potuisse canere fidibus? Quis crederet Delphinum eò, quod Arionem vexerit dorso, in cœlum translatum, ibidemq; insignitum stellis, quæ jam ante à mundi Exordio ibidem fulserant? Quinipsi Periandro Regi Corinthio, ad quem Arion dicitur trajecto mari perveniſſe, hæc omnia fuere viſa incredibilia. Imò Herodotus ipſe, Fabulam hanc appellat, ultroq; fatetur talem eſſe, cui nemo facilè adhibuerit fidem.

3. Ab impoſſibili: Quis unquam tam ſtupidi foret animi, ut perſuaderi ſibi patiatur, fieri ullo modo potuiſſe, ut unus Delphinus, piſcis non ita magnus, hominem ſtatæ ætatis, procul dubio ponderis ac molis haut exiguæ, portarit per tam vaſta, & longinqua turbulenti maris ſpacia, cum ab equo ſatis robuſto, id vix, ac ne vix quidem præſtari poſſit?

4. Ab inconſequenti. Quam ineptum quoq; & frivolum illud eſt quod additur; Arionem ſplendidiſſimo, ac nuptiali ornatu ſe induiſſe & tamen flebiles concinuiſſe modos? Quo pacto hæc cohærent, aut ab ipſo Herodoto conciliari poterunt? Modum Orthium canere (qui flebilibus carminibus prorſus contrarius eſt) & tamen modos lacrymabiles excitare? Quomodo excuſari etiam id poteſt, quod Arion bruta animalia, ipſumq; adeo mare flexerit ad miſericordiam. Nautas autem homines utiq;, ab humanitate dictos, neutiquam?

5. Ab

5. Ab Indecenti. *Mehercules cum Arion perhibeatur prudentia maxima præditus, indecorum utiq; illi fuisset, temporibus miserrimis & quidem in extremis vitæ periculis, splendorem luxumq; affectare.*

6. Ab inutili. *Deniq; quam amabo hæc fabula utilitatem in se continet? Cui vitæ parti inservit? Certe neq; prudentiam auget; neq; hominem utilibus præceptis instruit; neq; honestatis amorem excitat in animis auditorum: ut proinde eadem facilitate, qua ab alijs recipitur, à nobis reijci possit.*

II. Exemplum astructæ, & defensæ ejusdem Historiæ, de Arione.

1. A manifesto. *Herodotus à Cicerone eam laudem consecutus, ut Pater Historiarum appellari meruerit, Historiam de Arione æterna dignam memoria nobis reliquit, quam si eum seqvuti autores, ea integritate, qua ab ipso acceperant, reliquissent, nemo vel obscuritatis, vel falsitatis ream peragere, aut damnare posset. Culpa Poëtarum accidit, quod male apud nonnullos audire cœpit. Ovidius, (quæ Poëtarum est lubricitas, aut ut clementius dicam, libertas:) quidquid in ea absurdum, incertum, fabulosum, addidit de suo. Enimvero factum ipsum manifestum satis est, cujus & personæ nominantur, & circumstantiæ temporis, loci; evidenter satis describuntur.*

2. A Cre-

2. A Credibili, seu Probabili. *Enimverò non solet esse fama publica, de nihilo. Quis fidem denegaret illirei, quæ adeo accuratè descripta est, quo gesta tempore? sub cujus Regis Imperio? qua in Urbe? quibus hominibus præsentibus? Nimis me hercule stultas istas Reipubl. quæ in facti hujus memoriam duas marmoreas statuas Arionis, Delphino inequitantis, duobus diversis in locis erexerunt, quas Herodotus, vel ipse vidit, vel ab aliis visas accepit.*

3. A Possibili. *Ais, unum Delphinum nequisse portare hominem justæ magnitudinis? Ajo ego, per Delphinum, non unum Piscem, sed Delphinorum multitudinem audiri apud Herodotum, non secus ac Latini militem dum dicunt, intelligunt militum plurium cohortem. Plutarchus Conviv. sept. sap. Herodoto subveniens, exprofesso asserit, Arionem non ab uno, sed amplissimo agmine delfinorum exceptum, & tanquam satellitio circumdatum littori appulisse. Quin idem Plutarchus ad testimonium citat, totius historiæ testem oculatum, Gorgiam Fratrem Periandri, qui nondum è mari egressum Arionem Delfinis insedisse viderit, & egressum postea allocutus sit. Delphinos singulari amore per naturam duci erga homines, esseq; animalia admodum φιλάνθρωπα, plurimorum historicorum monumentis proditum est. Non accersam huc magnum Catalogum, satis sit ex laudato jam Plutarcho annotasse, Delphinos vexisse cadaver Hesiodi per mare in Rium. Delphinos puellam Lesbiam,*

Lesbiam, loco victimæ in mare projectam, unà cum adolescente Enalo, ejus amatore, tergoribus suis excepisse, & citra periculum è mari in terram portasse. Quod si Delphini ita humani sunt adversus mortuos, quis non crederet, multò majori affectu prosequi vivos? inprimis si suavitate musices, ut Arion, insimul & invitentur, & exhilarentur.

4. A bona sequela. *Quanquam verò à diversis authoribus, Herodoto, Ovidio, Plutarcho, diversimodè quædam narrata deprehendantur, quid tum? Certè & aliæ narrationes, alioquin verisimæ, eandem sortem experiuntur, quæ proinde nec rejiciuntur, nec damnantur capitis, sed fides adhibetur scriptori illi, qui vero quam maximè similia professus est.*

5. A Decore. *Non est, quod quisquam objiciat, minus decorum fuisse ornatum illum, ab Arione adhibitum, & modos flebiles: consideret is viros honestos, & graves, etiam extremo vitæ tempore, rationem habere dignitatis, & honoris sui, eumq; quantum possunt, servatum cupere. Imò quis scit, annon Arion, divino instinctu impulsus, vestem, qua in certaminibus musicis uti solebat, induerit? Mehercles, Gorgias sic censuit, frater Periandri, ut legimus apud Plutarchum.*

6. Ab utili. *Quidquid sit, historia hæc, ut auditu jucunda, ita perquam utilis est cum aliis, tum præcipuè genti litteratæ, quam commonefacit, de*

rebus plurimis egregijs. Discant hinc litterati, quantis sæpe obijciantur periculis, quæ, ut plurimum, ab indoctis, & rudibus exspectare habent. Discant, in medijs infortunijs se Deo curæ esse, & præter spem, sæpe mirabili ratione sospites servari. Discant, odisse avaritiam, quæ ut nautas istos, ita quemlibet impellit ad grandia scelera. Discant, rebus angustis imitari Arionem, qui (enarrante Plutarcho) ita vectus inter medios Delphinos, cum cœlum esset intuitus, stellis frequentissimis conspicuum, Lunam fulgidam, & puram exorientem, cogitavit apud animum, non unum esse duntaxat justitiæ oculum, sed stellis his omnibus circumcirca, DEUM observare, quæ terra mariq; gerantur. His cogitationibus lassus Arion, & languidus, mirificè seipsum erexit.

Ex his, quæ dixi, quivis intelligit, historiam de Arione, neq; vanam, neq; futilem esse, sed vel veram, vel vero similem, talemq;, quæ neq; sit ineruditа, neq; inutilis.

III. De Sententiæ seu Gnomes: Et Chrejæ, seu Apophtegmatis Confirmatione tractanda.

Quomodo differunt hæc inter se?

Sententia, & γνώμη idem sunt: Apophtegma, & χρεία etiam idem sunt. A Gnome autem Chreja differt; quod Gnome sit pronuntiata quædam sententia, de virtute, & vitio,

tio, aut alia re, in vita familiari, nullam adjunctam habens personarum mentionem. Ut, *Non omnia possumus omnes. Ne sutor ultra crepidam. Festina lente.* Chreja vero seu Apophtegma, est brevis recitatio dicti, aut facti, addita personâ, quæ id fecit aut dixit, *ut, Diogenes conspicatus puerum petulantem, verberavit ejus Præceptorem, dicens; quare eum non erudisti melius?*

Quibus absolvitur Tractatio sententiæ aut Apophtegmatis?

Utriusq;, tam Gnomes, quàm Chrejæ, seu Astruendæ, seu destruendæ idem est tractandi modus, eædem leges, & capita, quæ possunt esse hujusmodi.

1. *Causæ* propositi Thematis investigentur, & his explicetur Gnome, aut Chreja.

2. *Contraria* rei adhibeantur, & recenseantur.

3. *Similia*, & comparationes, quibus res illustretur.

4. *Exempla* Historica, Politica, &c.

5. *Testimonia* autorum, positam sententiam confirmantia.

I. Exemplum astructæ Gnomes.

1. A Causis. *Radices, seu initia, & fundamenta studiorum esse amara, difficilia, laboriosa, non est*

mirum aut insolens: Ita tum in natura, tum in omnibus aliis rebus comparatum esse cernimus, ut nihil magnum, ac memorabile, nihil pulchrum, ac præclarum, vel perficiatur, vel acquiratur sine prævio labore, ac molestiâ. Ubi strenuo laboraveris, poteris etiam particeps fieri, & emolumenti, & voluptatis. Industria antambula est; gloria subsequa. Industria pater, & causa, & principium. Fructus, ac commodum est filius, & effectus, & finis. Nihil ergo mirum, si etiam in disciplina puerili, tot, & tanti sint exantlandi labores, perferenda frigora, sudores, vigiliæ, metus parentum & præceptorum; devorandæ crebræ objurgationes, castigationes, plagæ, juxta illud: multa tulit, fecitq; puer, sudavit & alsit. Hæc omnia molesta quidem sunt; verum, si accesserit constantia, & diligentia, neutiquam erunt diuturna, quin brevi mirificis, quas ipsa sapientia in se continet, voluptatibus, & emolumentis, plenissimè compensabuntur.

2. A Contrario. *Quod si quis labores hos, & molestias perferre nolit, sed malit inerti desidia vitam transigere, dulcia, ludicraq; solum sectari, parentibus refragari, Magistratus contemnere, disciplinæ jugum ante tempus excutere, ille omni spe gloriæ excidet, neq; unquam dulcissimorum fructuum compos futurus, senex jam, ætate alienissima, difficultates multò amariores concoquere, & cum miseria, ac infelicitate luctari cogetur.*

3. A Si-

3. A Similibus. *Miles, qui ad prædam, ad honorem, ad coronas aspirat, eum ante oportet, caput ac latus objicere mille periculis. Non licet illi, nisi per durissima prælia, eluctari ad victoriam. Rusticus nisi allaborat agrum arare, lirare, occare, conserere, nunquam perveniet ad optatam messem; nunquam fruges cum fœnore colliget. Vinitor, antequam uvas decerpat, & ex iis expressum vinum suavissimum degustet. Hortulanus, priusquam dapibus inemptis, id est, fructibus arboreis, & oleraceis fruatur, tondere vitem, aliasq; arbores, pastinare, circumfodere, irrigare, runcare, hisq; laboribus annuam, & accuratam curam impendere coguntur. Breviter, qui nucleum vult esse, nucem frangat oportet. Qui commodum è re sperat, eum laboribus parcere non decet.*

4. Ab Exemplo. *Apud Romanos nemini licebat pedem inferre in templum gloriæ, & honoris, nisi prius perambulato fano Virtutis, & laboris. Apud Gymnosophistas nunquam cibus in prandio porrigebatur adolescentibus, nisi prius enarrasset quisquis, quid laudabile à sese præstitum esset eo die. Sic Hercules per tot labores, & monstra domita, viam sibi stravit ad vitam cum Diis agendam, seu ut utar Lyrici loquela. Sic Jovis interest, optatis epulis, impiger Hercules. Sic perdius & pernox Orpheus nunc paternis nunc maternis ictibus inhians. Sic ad lucernam vigil Epictetus. Sic Virgilius ex Ennij stercore aurum colligens. Sic innumeri Heroes prisci,*

laboribus suis æternam sibi gloriam peperere. Et corpore quidem jam pridem demortui, ingenio vivunt, volitantque hodienum per ora virûm, ubi econtra ignavorum nomina, unà cum corporibus in cineres redacta sunt.

5. A Testimonio. Hoc illud est, quod Poëtæ prisci graphicè ac sapienter adumbrarunt, Musas Palatium suum posuisse in verticibus altissimorum montium, ad quod nulli gradum contollere, & pertingere, nisi per sentes, & dumeta, & prærupta viarum liceret. Elegantes sunt in hanc sententiam Cassij Parmensis Versus,

Non levis ascensus, si quis petit ardua: sudor
Plurimus hunc tollit; nocturno insomnis olivo
Immoritur: delet quæ mox laudaverat in se,
Qui cupit æternæ donari frondis honore.
Neq; inde abludunt hæc Ascræi.
Τῆς δρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν &c.

II. Exemplum destructæ Chrejæ.

1. A Causa. Non esse Philosopho cordato sectandam affectatam aliquam, & nimiam sermonis brevitatem, quam Zeno usq; adeo & affectabat, & laudabat, exinde imprimis ostendi posse arbitror, quod plerumq; βραχυλογίαι obscuritatum sint plenissimæ. Brevis esse laboro, obscurus fio, ait Horatius.

Fortas-

Fortaßis subest etiam invidia, dum breviloqui isti, nolunt doctrinas suas intelligi ab alijs, scilicet, ut videantur ipsi soli sapere auditoribus, quod vitium in Philosopho turpißimum judicatur.

2. A Contrario: *Enimvero, quo alio fine concessus est homini à Natura, & Deo linguæ usus, nisi ut ipsa esset cordis internuntia? proma conda pectoris? animiq; sensa, quam fieri posset, maximè perspicuè, & apertè proferret, communicaretq; cum alijs? Satius est Cicerone teste, mutum esse, quam, quod nemo intelligat, dicere.*

3. A Similibus. *Obscurus hujusmodi, & compendiosus professor non absimilis est avaro Euclioni, & κυμινοπρίστῃ. (Cumini sectori, Arist. l. 4. Ethic.) qui sordidè tenax convivis esurientibus à se invitatis, & prandium liberale expectantibus, parcè, ac duriter præbet omnia: sitientibus vinum in acetabulis apponit; convivas umbra potius prandij, quàm vero convivio pastos, jejunos tandem, & famelicos à se dimittit.*

4. Ab Exemplo. *Talis fuit Heraclitus, dictus eo nomine σκοτεινὸς, seu ut Lucret: eum vocat,*

Clarus ob obscuram lingvam, magis inter inanes,
Quam degraves Grajos, inter qui vera requirunt.

Longè autem majorem, & cum viverent, & item post mortem, gloriam consequuti sunt alij Philosophi & Scriptores luculenti. Isocrates, Xenophon;

Plato; Cicero; quorum monumenta, ad nostras manus propagata, in summo sunt precio, qvum interim Heracliti nomen, unà cum monumentis ejus pœne interciderit.

5. A Testimonio. *Testes adversus hanc Zenonis sententiam, esse possunt omnes, qui laude eloquentiæ nomen sibi compararunt, quos inter antesignanus haut injuria constitui Cicero potest, qui brevitatis quidem amans, in dicendis sententiis; in reliqua autem eloquentia ejus osor & hostis fuit infensißimus. Testis esse potest Euripides, scribens:* τὰ μακρὴ τῶν σμικρῶν λόγων ἐπιπροσθέν ἐστι, καὶ σαφὴ μᾶλλον κλύειν. Eleganter quoq; & eruditè Naz. Τὸ λακωνίζειν οὐ τοῦτό ἐστιν ὅπερ οἴει, ὀλίγας συλλαβὰς γράφειν, ἀλλὰ περὶ πλείστων ὀλίγας. *Hoc ego modo (adjungit Nazianzen.) Homerum imprimis breviloqvum, ut contra Antimachum prolixum ajo: Rebus scilicet, non litteris longitudinem metiens.*

IV. THEMATIS tam SIMPLICIS, quam CONJUNCTI Explicatio.

1 De Themate simplici.

Quotuplex est Thema seu Res simplex?

Res omnis simplex, est vel Substantia, vel Accidens; utriusq; eadem est explicatio.

Quo-

Quomodo ea instituitur?

Per sequentia decem capita quæ sunt.

I. *Nomen.* Ubi 1. explicatio Homonymiæ: Indicantur variæ vocis usurpationes, selectâ ex iis eâ acceptione, quæ nostro inservit usui. Ita tollitur omnis ambiguitas.

2. Nominis derivatio, si ea scitur;

3. Synonyma, si quæ assunt.

II. *Quæstio an sit,* interdum hic explicatur, Sed ejus rarus usus. Nam multa sunt Entia simplicia, tam nota, ut frustra demonstrentur, quod sint. In aliquibus tamen τὸ ὅτι, quod sint, oportet explicari: *ut an sit materia prima? An sint orbes cœlestes?* Si verò opus est quæstione, an sit, tractari ea debet ita. 1. Recensenda sunt argumenta eorum, qui contrarium nobis statuunt. 2. Eadem refutanda. 3. Afferendæ nostræ rationes, quibus probamus rem dari.

III. *Quid res sit?* Ubi primo definitiones aliorum examinatæ. 2. Nostra proposita, & explicata, constans genere & Differentia, desumendis ex serie prædicamentorum; & horum demonstratione. Hic de utroq; discutiantur controversiæ: Ut, *An Medicina sit Ars, an Scientia:*

IV. *Subjectum*, inhæsionis in solis Acci-

dentibus, e. g. *Organa sunt subjectum facultatis animæ.*

V. *Objectum* item in accidentibus ferè, quod cognoscitur & tractatur, e. g. *corpus naturale in Physica. Res, personæ, & actiones in Jurisprudentia.*

VI. *Quotuplex sit?* seu Divisio, ubi 1. Species & Differentiæ variæ essentiales, accidentales. 2. Divisio in partes.

VII. *Antecedentia.* Id est, efficiens, & origo: quò referantur etiam Inventores; Possessores; *ut Apollo inventor Medicinæ.* Media & Instrumenta.

VIII. *Consequentia*, id est. 1. Finis. 2. Proprietates naturales. 3. Usus varij & commoda.

IX. *Pugnantia:* quæ in Natura, aut *aliàs* contrariantur Rei.

X. Auctoritates, id est. 1. testimonia Scriptorum. 2. Exempla & Historiæ.

Cæterum, cum Rerum permagna sit varietas, non poterit quælibet, ad omnes has leges simul se componere, sed eligenda sunt capita, cuiq; tam accidenti, quam substantiæ magis convenientia. Præterea non semper eâ serie disponuntur Argumenta Oratoria, qua Logica. Orator sæpius propositionem alterutram, majorem, aut minorem subticet. Neq;

etiam

etiam tam expresse, aut breviter ea proponit, quam Logicus: sed intertextis sermonum floſculis, de quibus tradit Elocutio.

I. Exemplum de Tyranno.

1. Nomen. *De Tyranno verba facturus, in primo veſtibulo fas eſt, ut interpreter πολυσημασίαν hujus vocabuli. Nam, ut Plato ait,* πρωτὸς δεῖ ἐξετάζειν τὸ ὀνόμαζε, πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν. *Antiquitus Tyranni erant ijdem, qui hodie Reges, apud quos libertas perpetua, in ea civitate, quæ libertati aſſueverat. Bonæ famæ vox olim fuit, non inviſa aut odioſa. Ipſe Jupiter Tyrannus dicitur, Ariſtophani in Nub: qui Homero Deorum Rex: Porphyr: Iſag:* καλὸν μὲν εἶδος, ἄξιον τυράννιδος. *Cæterum (2.) cum hi Tyranni Reges, abuterentur poteſtate ſua, abijt id nomen in odium. Et ſic hodie communiter Tyrannus vocatur, qui poſthabita ſalute ſubditorum, omnia in ſuum commodum vertit: Ita eum diſtinguimus à rege, qui primò quærit ſubditorum ſalutem.*

2. An ſit? (hac quæſtione hic non indigemus. Nimis enim notum eſt, Tyrannos tum olim fuiſſe, tum hodie eſſe.)

3. Quid ſit? 1. Aliorum def. refutatæ. *Quid jam vero ſit Tyrannus, non omnes eodem pacto definierunt. 1. Laertius Tyrannum dixit eſſe, qui per vim alijs imperat. Aſt ablucinatur à rei veritate.*

Enim-

Enimvero non omnis vi dominans, est Tyrannus. Cyrus Babilonii per vim imperavit, unde sæpe ab eo defecerunt. Tamen Xenophon hunc, quasi Exemplar boni Regis, proponit. Alexandrum M. Regem fuisse, & quidem Excellentem, nemo ibit inficias. Attamen hujus Imperio sese subjecerunt gentes plurimæ ἔκοντες ἀεκόντιγε θυμῷ.

2. *Politici nostri recensent plurima attributa, ex quorum concursu ajunt fieri Tyrannum, quod sit crudelis, ebrius, scortationibus deditus, impius &c. Verum hæc omnia vitia sunt privata; aut certè natura Tyrannidis posteriora.* 2. Nostra definit. *Rectius nos fecerimus, si Tyrannum, uti personam publicam, æstimaverimus ab officio Publico. Nimirum Tyrannus opponitur Regi: Regis omnis cura, atq; officium consistit, in procuranda salute subditorum & Reip.: Tyrannus igitur est, qui negligit, & evertit bonum Publicum, habita tantum ratione sui commodi.*

Nota. Subjectum, & objectum hic non habent locum. Tyrannus enim substantia est, non accidens.

4. Quotuplex sit. *Sed illud vos nescire nollem, haut unam esse Tyrannorum speciem. Sunt qui aperto vultu præ se ferunt hæc animi sui consilia, qui ferro, flamma, odio premunt subditos, ut eò commodius votorum suorum finem consequantur. Alij, vulpecularum instar, non sæviunt aperto; sed per clan-*

cularia

cularia consilia gradum sibi sternunt. Hi scilicet dissimulant foris, ut regnent;

Ast intus tacitas gestant sub pectore fraudes.

5. Antecedentia. *Porrò hæc carcinomata Rerump. quanquam naturali quadam inclinatione proclivia nascantur ad id vitium, tamen multum etiam hic valet tam conversatio quotidiana, cum hominibus crudelibus, quam doctrina, & præcepta imbibita, ex aliorum seu scriptis, seu viva informatione. De inclinatione naturali quod dixi, verum esse, testatur puer ille, quem Historici ab Areopagitis damnatum narrant, quod aviculas captas, vivas truncarit pedibus, & privarit plumis, postmodum eas dimiserit: Ex quo facto puerili, ei puero, per naturam inesse crudele ingenium Areopagitæ judicarunt. Quantum verò conversatio, & doctrina hîc posit, liquido liquet ex tot Tyrannis, quos solius Machiavelli lectio librorum peperit.*

6. Consequentia. *Considerate nunc mecum, Auditores, quæ sit quasi cauda Tyranni quam trahit! Cum Tyrannus primo & per se evertat bonum Publicum, hanc illius machinationem, velut umbra corpus, sequitur pari passu ilias, & caterva ingens vitiorum. Imprimis de medio tollit magnates, Primates, prudentes, præstantiores, à quibus impediri consilia ipsius poterunt. Facit id ad Exemplum Tarquinij decuttentis capita papaverum. Machiavelli hoc est præceptum: cum occupatur Regio à Tyranno, macerandos*

randos & torquendos esse nobiles, civesq, ut ultrò profugiant. Eam præceptionem gnaviter exeqvuti sunt Hispani in America, Insulisq, adjacentibus, Cuba, Jamaica, Hispaniola, in quibus sub illorum adventu qui vivebant 48. centies millia hominum adultorum, omnes ab ijs mactati sunt, tanquam porci, ut etiam aquæ marinæ sangvine tingerentur ad parasangas aliquot.

Quis verò Tyrannos exitus tandem manet? Ipsimet miserrimè dispereunt, postquam inquietissimè vixerunt. Vita illorum perpetua est tortura: Nocte dieq, suum gestant sub pectore testem. Testis est Dionysius Tyrannus, indicare studens Damocli miseriam suam apud Ciceronem. Obitus verò Tyrannorum, ut plurimum est cruentus. Ad Cereris generum sine cæde, & sangvine pauci Descendunt Reges, & sicca morte Tyranni. Multos quidem Tyranni interimunt, Nullus tamen interimit successorem suum.

7. Pugnantia. Ex hactenus dictis intelligitis, Tyrannum Regi bono è Diametro contrariari. Possem si usus postularet, aut res, ad exemplum Plutarchi, qui scripsit vitas parallelas Heroum, Tyranni vitia juxta conferre, cum virtutibus Regis, sed habenda mihi est ratio brevitatis.

Regis suprema Lex & Regula est, populi paxq, salusq, sui. Ut gubernatori cursus secundus: Medico sanitas: Sic Regi beata civium vita proposita est. Ex adverso Tyrannus nihil quærit, nisi subditorum interitum, & perniciem.

Rex

Rex (qua vir pius est) pietatem colit, Religionem defendit, promovet; Scholasq; templaq; conservat, restaurat. Tyrannus contemptor est Deum, juris & æqui; religionem supprimit, leges evertit, &c. Rex (quà est homo) liberalis est, clemens est; humanus, cædis abstinens, pacis ac tranquillitatis amans: Tyrannus omnia contraria molitur.

8. Auctoritates. *Ut verba conferam in compendium, si excutimus Historiarum monumenta, inveniemus, omnes bona mente præditos Scriptores Tyrannidem, tanquam monstrum aliquod, odio habuisse. E multis pauca sufficiant. Horatius scribit, Tyrannum, etiamsi ad Garamantas fugiat, tamen non posse effugere stimulos propriæ conscientiæ.*

Sed timor, & minæ
Scandunt eodem, quo Dominus, neq;
Decedet æratâ triremi, Cura.

Si Exempla quærimus, Nero, Heliogabalus, Tarquinius, qui inter Tyrannos familiam duxerunt, quàm atrociter gubernarint, quàm se invisos fecerint subditis, id ex rebus eorum gestis, abundè videre est.

2. Exemplum de Gallo Gallinaceo.

1. Nomen. *Occupaturus hac vice Orationem meam, in asserenda Natura Galli, præmittenda mihi imprimis erit Homonymia, & varia Galli acceptio, ne in ambiguo versetur, vel meum studium, vel vestra attentio.*

attentio. (1. Homonym.) *Galli nomen 1. Proprium fuit viro nobili, cujus apud Maronem celebratur memoria, cantantem: Gallo carmina sunt dicenda, Neget quis carmina Gallo? 2. Vocatus etiam fuit Gallus, Fluvius aliquis Phrygiæ, cujus aquæ facicbant furere Potatores, qua de re Ovid. Fast. Exinde Galli dicebantur Sacerdotes Cybeles, Deæ Phrygiæ, qui se castrabant, & inter sacrificandum furiosè gerebant: Unde à Varrone & Nonno annotatum est verbum, Gallare, id est, furere. 3. Gallum quoq; appellari, hominem ex Regno Galliæ oriundum, cuilibet notum est. Cum harum significationum nullâ nobis res est. Sed 4. Per Gallum intelligimus Gallinaceum, avem domesticam, gallinarum maritum, nemini non cognitissimum.*

2. Etymolog. *Unde Originem vox Galli traxerit, non inquirimus nunc curiosè. Eam curam Grammaticulis relinquimus.* 3. Synonym. *Græcis est ἀλέκτωρ, quasi ἀναλέκτωρ, quod mane homines è lecto evocet, somnoq; excitet ad labores. Galli vocant un coq: fortassis à coquendo, quia tandem coquis & culinæ Gallinaceus destinari solet.*

3 Quid sit? *Cæterum hunc nostrum Gallum Gallinaceum, qui intimius noviſſe volet, is consideret, eum esse ex genere volatilium, seu volucrum; & quidem earum, quæ cum hominibus familiariter conversantur, & domesticæ sunt. Non solum pennis multicolori-*

ticoloribus resplendentibus ad radios Solis, vestiti sunt Galli, sed etiam (quod, nescio, an ulli volucri concessum) cristam carneam, instar coronæ in capite: infraq; rostrum, palearia, id est, barbam carneam propendulam, minij instar rubentem; In cruribus vero calcaria ossea, ad modum equitis, decorè gestant, & superbè ostentant. Atq; hæc est corporis illius conformatio, quod corpus anima informat sentiens, sui generis, tota specie distincta, ab animis sentientibus cæterorum brutorum, quæ dotibus suis admirandis instructa actiones producit sibi proprias, & peculiares. In his quidem consistit Gallinacei essentia. Nam, quando Diogenes Cynicus, gallum vivum pennis spoliatum, & undiq; exutum, immissum in Platonis auditorium, definivit hominem Platonicum, is ludus, jocusq; merus fuit, quo tangere voluit Platonem, definientem hominem: Animal bipes, carens plumis.

3. Quotuplex. Cæterum Gallinaceorum non simplex est varietas. Reperiuntur distinctæ eorum species, & differentiæ quædam, uti & Gallinarum. Sunt 1. Galli domestici, (alij aliis generosiores, pulchriores,) de quibus noster institutus est discursus. 2. Sunt Galli dicti Indici, ex Calecutho oppido Africæ primum ad nos delati, palearibus crispis, granduloſis, luridis, jam cæruleis, jam sanguineis, jam albicantibus, jam variegatis, cornu itidem carneo propendente è vertice, turpiter super rostrum nato & laxari, & contrahi. Breviter, capite quidem horren-

di, reliquo corpore satis decori. 3. Sunt Galli Phasiani. 4. Sunt Galli perdices. 5. Sunt Galli Sylvestres, quos Wyrhahnen appellamus, quorum omnem constitutionem enarrare, nihil ad nos attinet.

4. Antecedentia. Ut, Origo, Efficiens. Si primam Gallinaceorum Originem quæritis, est ea ex ovo, cui per 21. dies gallina incubavit, & quidem conformatio partium, totiusq; pulli, est ex albumine: nutrimentum ex luteo. Apud Plutarchum Quæstion. Conviv: Controversia agitatur; Priusne fuerit ovum, an Gallina? Non videtur prius fuisse ovum, quia id præsupponit Gallinam parentem, & parientem. Non videtur prior fuisse Gallina. Nam hæc ex prævio Ovo. Ea quæstio prima fronte ridicula videtur, & haut magni æstimij; sed in recessu plurimum habet subtilitatis. Deducit enim nos ad æternitatem mundi, & disputationem illam arduam, an æternus sit, an verò aliquando cœperit mundus? Certè, spectatâ naturali generatione, Gallinaceus semper est ex ovo: Ovum semper ex priore Gallina, unde tandem datur progressus in Infinitum, cujus non est reperire principium, quod de mundo & omnibus mundanis asseruit Aristoteles. Nos verò Sacris literis edocti, novimus, Gallinam priorem fuisse ovo, eamq; à DEO cum cæteris animalibus in primâ creatione productam, quæ postmodum vi ingenitâ, aut, ut rectius dicam, concreatâ, genuit ova, & ex ovis gallos gallinasq;, quæ ordinaria naturæ lege speciem suam multiplicando perpetuarunt.

§. Con-

5. Consequentia, Proprietates, Usus. Porro, si partim in Naturales ἐνεργείας, & proprietates Gallorum, partim, ad emolumenta quibus humanam vitam beant, inquiramus, deprehendemus, istas quidem & amplissimas & cognitu dignissimas: hæc verò multiplicia & homini acceptissima. Inter proprietates Galli, prima ac præcipua est, quòd cantu sonoro, & iterato (cui alarum concussionem & vibrationem præmittit) prænunciat, partim auroram diei adventantis; partim aëris, & tempestatum mutationes: Intervalla horarum, non solùm noctis, sed etiam diei, à Gallo per cantum denunciari, & definiri, testes præter Plin. l. 10. cap. 21. plurimi sunt aliĩ scriptores. Unde milites in castris versantes, remoti ab Horologiis, gallorum (quos secum semper ferunt) fide, horas discere, & numerare se posse credunt. Sed diligentes hujus rei scrutatores experti sunt, certas horas à Gallis non determinari, sed saltem circa auroram, sole appropinquante, cantum ab eis edi, motis & impulsis vel occulta quadam vi, nobis incognita, vel ob aëris mutationem, ab adventante luce, quam volucres multò subtilius, atq; nos homines persentiscunt. Aëris certè alterationem, quoties præsagit Gallus, toties aliquam etiam in humoribus ejus ἀλλοίωσιν evenire dubium nullum est. Scaliger Exercit. 239. quæ super hac re habet, pulchra sunt. Non defuerunt (inquit) qui canendi statas horas, Gallo asscribere ausi sunt; quos ego falsa dicere,

tam, in excubiis olim, quam postea, in lucubrationibus expertus sum. Canunt verò, non certis horis, ut nugantur sed temere. Quæritur causa matutini hujus cantus? Mahomet in suo Alcoran scriptum reliquit, in Cœlo Crystallino, supra primum mobile stare vægrandem Gallum, qui simulac incipiat canere (canentem autem solos audire Gallos, præterq; eos nullum animal) tum protenus omnes gallos globi terrestris eum cantando imitari. Ἀλλὰ τοῦτο μὲν λῆρος λῆρος. Erasmus Roterod. putavit Gallum noctu canere, Veneris desiderio, quem refutat Scaliger d. l. his argumentis. 1. quia etiam post expletam Venerem cantat, scilicet, coitu non debilitatur, ut animantes cæteræ, sed quia depletur (seminis abundantissimus) alacrior redditur. 2. Quia canit præsentibus Gallinis; quas tum non init, quas noctu plusculas secum habet jacentes, immotas, easq; insilire, cum lubet, licet.

Cæterum cantante uno Gallo, cæteros quoq; qui non procul absunt, vociferari audimus, sicut oscitante uno oscitat & alter. Causa esse potest, vel quia simili naturæ instinctu omnes ex æquo ducuntur; vel ex contentione & exemplo aliorum. Hæc antelucana gallorum cantillatio prænuntia instantis diluculi, non est frustranea, sed usibus humanis maximè inserviens. Per illam dormientes, vesternosi, desides, excitantur è somno, monenturq; ut cum Sole adventante surgant. Et sane industrij homines haut in-

inviti hæc monita Gallorum sequuntur. Exemplo est ille, de quo Horat. Epist. 1. Ad Galli cantum consultor ubi ostia pulsat. Desides verò vel contemnunt, vel molestè ferunt, quales erant ancillæ illæ, de quibus in fabulis suis Æsopus. Hæ cum ægrè ferrent se ab hera excitari summo mane, excitata per galli cantum, præscinderunt Gallo caput, sperantes, se hoc facto dormituras in pleniorem lucem. Verum pejus illis accidit, quam ante. Hera enim, destituta Galli admonitione, intempesta nocte eas expergefecit, coegitq; ad labores. Nimirum, quemadmodum vigilantissimus est Gallus, sic ad vigilandum instigat alios. Vigilare decet hominem (Plautinum est hoc) qui sua tempori conficere vult negotia. Fortassis huc respicientes primævæ Ecclesiæ homines, collocarunt Gallum æneum super turrium fastigia, velut Ethnici Tritonem, non solum ut ex ejus jugi motu, ventorum flatus, unde venirent, addiscerent, sed ut commonefacerent, tum omnes homines, tum imprimis Ecclesiarum ministros, vigilantiæ, & diligentiæ, quemadmodum divo Petro Apostolo, sub auspicium Passionis Christi, gallus cantu suo monitor exstitit respiscentiæ.

Hæc prima est Gallorum proprietas, quam pari passu sequitur alia, scilicet Gallus est audax, animosus, pugnax, si quæ ulla alia est volucris. Non solum pro Gallinis pulloq; suis, tanquam pro aris focoq; militat, adversus rapaces volucres, aquilas, vultures,

corvos, aliaq́ quadrupedia; sed etiam in arenam, & duellum descendit cum gallis alijs, si quos præsentes in suo territorio depræhendit, pugnat, inquam, non solum usq́ ad langvorem, & usq́ ad sangvinem, sed sæpe usq́ ad mortem. Habet naturæ suæ inscriptum hoc Hom. οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. *Sicut mundus non patitur plures Soles, ita Gallus unus Gallum parem aut socium odit, gestitq́* αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχος ἔμμεναι ἄλλων. *Quod si nactus fuerit adversarium debiliorem, illo devicto, post impetratam victoriam, canit clarißimum* ἐπινίκιον, *& voce sua hostem superatum proclamat. Ælianus autor est, Athenienses post bellum cum Persis gestum, quotannis instituisse* ἀλεκτρυομαχίαν; *commisisse gallos invicem concertantes in Circo, admißis spectatoribus civibus, fortè eo fine, ut disceret unusquisq́ pugnare, & pulcram per vulnera mortem oppetere pro patria. Ab Atheniensibus profluxit mos idem ad Batavos, Anglos, alicubi & Germanos, apud quos in Nundinis publicis diversi Gallinacei ad pugnam curiosè educati committuntur, confluente ad id spectaculum copioso populo. Qui dimicando evasit superior, is grandi sæpe precio præstinatus emitur, & in honore ac æstimio habetur. Caveri tamen vel maximè solet, ne pugnaturi Galli allium prægustarint, quod supra quam dici potest, comestori vires addit, adversario adimit, quod jam olim in usu fuisse inve-*

invenio apud Xenophontem. Præter has, & aliæ Gallorum Proprietates, à scriptoribus memorantur, utpote, quod internecino odio dißideant cum Leonibus, qui ad illorum cantum terreantur; quod annosus Gallus ovum pariat, ex quo nascatur postmodum Basiliscus. Sed hæc similima esse somniorum interpretamentis, demonstrabimus in Confutatione. Atq; hactenus de proprietatibus. Audite etiam aliquid de usibus, quos vitæ humanæ præstant Gallinacei.

Principiò usus & Officium Galli est, ut sit vir suarum fœminarum, quo pacto non solum ovorum crebriorem productionem promovet, sed etiam ipsamet fœcunda facit. Absq; Gallo esset, nullus ex ovis pullus excluderetur, adeoq; tota Gallorum prosapia interiret funditus. Citra insensum, & opem Galli pariunt quidem Gallinæ nihilominus ova, sed sterilia, infœcunda, exclusioni inepta, destituta vi, & Spiritu genitali (quem Gallus suppeditat) quæ dum incubanti gallinæ supponuntur, computrescunt, nec prolis spem ullam de se præbent. Per Gallos igitur multiplicatur genus pullorum, non exiguo patrisfamilias commodo. Dehinc Gallus est mensarum ingens præsidium, & dulce decus, & stabilimentum nobile. Nemo tam pauperculus est, qui non palato suo objecerit aliquando, vel assum, vel elixum, vel tostum, vel artocreate sepultum, vel in minutal redactum gallum gallinaceum. Neque sani solum, sed ægri habent,

quo nomine se Gallinaceis obnoxios fateantur. Hic est usus, omni ætati, sexui gratus & acceptabilis. Ast vero alius etiam Gallorum usus fuit Romanis priscis familiaris; (quem ab omnibus bonis Dij avertant) Apud eos, si quis parricidij scelere se inquinasset, vel, ut Horatij utar verbis,

Parentis olim si quis impia manu

Senile guttur fregerat, is plectebatur supplicio tali, gravissimo me castor & horribili. Consuebatur homo in utrem, aut saccum, illiq; Socij miseriæ adjungebantur, Gallus, & Simia, & Canis, & Serpens. Sicq; projiciebatur in profluentem. Gallus quidem quia hic proprium parentem in suâ conversatione ferre non potest, sed illi insultat: Cum eo duellum init, &, si potest, adigit eum ad interuecionem, sic & parricida. Simia; quoniam hæc homini quidem externa specie similis apparet, intus autem est fera bestia. Talis & parricida. Canis; quia hic propriæ speciei non parcit, sed mordendo persequitur canes alios, etiam fratres, & parentes; Ita & homicida. Serpens deniq;, quia hic humano generi infensissimus est hostis, illiq; mortem quoties potest, infert. Haut secus & Parricida. Conjungebantur autem hæc omnia, ut in angustias vitæ conjecta, eò acrius sævirent in hominem. Sacco includebantur, quia scelus illud hominis, haut erat dignum cœli convexa tueri, & sole, & aëre frui. Deniq; in aquas conjiciebantur, quia indignum erat monstrum illud hominis, quod terram

terram, matrem omnium, calcaret, & olim in ejus sinu conquiesceret.

6. Pugnantia. *Verum enimvero sicuti nihil est tam feliciter natum; tantis, vel naturæ, vel fortunæ dotibus instructum, quod non suos adversarios ubi ubi inveniat: ita & Gallorum propago hostes suos internecinos, & nacta est, & nunquam non experitur. Hic in perniciem illorum jurarunt feles, vultures, aquilæ, Corvi, mustelæ, Canes imò & turpissima bestia, sus, &, quam primo nominare debebam, astuta Vulpecula, hostis infensissima totius generis gallinacei. Sed de Gallis πάντα δὴ μᾶλλον ταῦτα.*

Exemplum Accidentis. De Pulchritudine.

I. Etymo: *Constitui hac vice compendioso discursu vobis enucleare naturam, & constitutionem pulchritudinis, illius imprimis, quæ in humana specie spectatur, amatur, admirationem meretur.*

I. Homon: *Est quidem pulcritudo affectus omnium corporum naturalium, quorum quodlibet in suo genere, si perfectum est; si nactum exquisitam partium Conformationem, elegans, & pulcrum tum est, tum laudari meretur. Pavonem, & hujus caudam quis nescit? cardueleni, lyncem, catellos melitæos, Psittacos? &c. Sed de solius humani corporis pulcritudine, sequestratis cæteris, hic sermo erit. Homo enim mensura est, & Regula omnium animalium,*

lium, ad cujus perfectionem, & elegantiam referri, & examinari possunt, cætera omnia pulcra inferioris mundi.

2. Synon: *Porrò, Pulcritudo aliàs etiam Formositas appellatur, à forma excellentiore. Venustas à Venere, quam DEAM pulcherrimam finxerunt Poëtæ: differt q. venustas, à formositate, quod ista sit in Vultu, ad gratiam compositio, hæc in facie, & cæteris membris. Species, & forma, voces sunt indifferentes, tam de laudabili, quam turpi re prædicabiles. Græcis est καλλος, ἀπὸ τοῦ καλοῦ à bono. Certè τὸ καλὸν, non solum bonum, sed & Pulchrum, & honestum significat Græcis, quasi omne pulcrum, sit bonum: Et bonum, pulchrum, honestum q.*

2. Definitio. 1. (Alior. refut:) *Quid proprie sit Pulcritudo, ut scitu jucundum est, sic definitu difficile. Plato eam definivit, Circumferentiam, cujus centrum sit bonum. Picus Mirandula, amicam inimicitiam, & concordem discordiam. Theophrastus, eburneum detrimentum. Alij privilegium naturæ. Verum pleraq. hæc sunt Allegorica, ipsam pulcritudinis essentiam non attingentia.*

Averrhoes pulcritudinem dixit esse, Proportionem inter membra media & extrema. Item dispositionem rerum, secundum cursum naturæ suæ. At neq. hæc satisfaciunt curiositati nostræ. In prima definitione positum est Genus minus conveniens. Proportio enim est ex Categoria Relationis. Pulcritudo

verò

verò est *Qualitas*, cui, ceu posterius quid, *accidit proportio*. *Posterior definitio multò est latior definito, siquidem & sanitati convenit; quippe quæ nihil est aliud, quam dispositio rerum secundum cursum naturæ. Sanitas autem, & Pulcritudo, differunt, sicut causa, & effectus, sicut prius, & posterius.*

Defin. nostr. *Ad constituendam perfectam pulcritudinis Definitionem, primò inquirendum Genus. Hoc esse Qualitatem, probari potest exinde, quod pulcritudo denominet Subjectum, & faciat illud quale, ab eâ, homo dicitur pulcher, ut ab eruditione, eruditus. Qualitatis vero cum sint quatuor Species, non poterit pulcritudo commodius referri, quam ad quartam sc. Formam. Generi huic, si addatur differentia, petenda à Subjecto, cui pulcritudo inhæret, habebitur perfecta Definitio, quæ talis esse potest: Pulcritudo est Forma corporis, orta ex eleganti dispositione membrorum externorum inter se, & cum toto, consistens in decenti colore, magnitudine, conformatione, situ, & numero partium.*

3. Subjectum. *Hinc non difficile erit, cuilibet perspicere, quodnam sit pulcritudinis adæquatum Subjectum? scilicet, non membra corporis intus abscondita (quæ sanitatis quidem, at non pulcritudinis sunt participia) non sola facies (nam & cæteræ partes pulcræ sunt) sed totius corporis externa constitutio, membraq; omnia, quotquot sunt in superficie corporis posita, quæ scilicet à natura donata fuerunt se-*

quen-

quentibus ornamentis. 1. Figura eleganti. 2. debita magnitudine, ut nec grandia sint (qualia Gigantum) nec exilia nimis, (qualia nanorum) 3. Situ naturali, ut quodlibet sedem suam à natura requisitam obtineat. 4. Numero sufficienti, cui nec deest, nec superest quicquam. 5. Colore decenti & grato; His dotibus totum corpus, membraq; singula donata & instructa, subjecta sunt adæquata Pulcritudini.

4. Objectum. *Hujusmodi corpus formosum, si objiciatur homini, animus protenus fertur in appetitum, & desiderium illius, tanquam boni. Omne enim bonum appetitur. Pulcritudo est bonum, Theog.* ὅτι καλὸν φίλον ὄν: τοῦτ' ἐ καλὸν ἐ φίλον ὄν. *Itaq;, velut appetitus objectum est Pulchrum; sic vice versa Pulcritudinis objectum est animus appetens: sunt enim hæc relata. Hinc fit, quòd pulcros homines, non solum admiratione, sed etiam amore persequimur.*

5. Divisio. *Ita se habet Pulcritudo corporis. Cum verò homo non solum corpore, sed & animo constet, dabitur etiam quædam animi pulcritudo, ut ita in humanis duæ sint pulcritudinum species & differentiæ, alia corporis, de qua jam dixi; alia animi, consistens in sapientia, eruditione, virtute, qua ille instructus, ornatusq; est. Tum item in decora facultatum omnium animæ conspiratione. Præter has duas species, est etiam Pulcritudo alia supernaturalis: ipse scilicet DEUS, omnium Pulcrorum Idea,*

&

& Exemplar absolutissimum; Imò Pulcritudo ipsa infinita & ineffabilis, cujus divinæ pulcritudinis, radius quidam est pulchritudo animi & corporis. Est igitur Pulcritudinis vocabulum analogum, quod ex Platonis mente primo convenit DEO, & Substantiis immaterialibus; secundariò homini, & aliis corporeis. E contra ex Aristotelis sententia, primo competit rebus corporeis; secundariè DEO. Hæc porro formositas hominum, variæ latitudinis particeps est: suscipitq; imprimis magis & minus. Non omnes homines æque pulchri, sed alius alio formosior.

6. Causæ: 1. Efficiens. Ex hactenus dictis arbitrari poteritis, primam & principem causam Pulcritudinis esse DEUM ipsum. Causa vero efficiens proxima est sanitas, dispositio scilicet partium, naturæ conveniens, quam, velut umbra corpus, ita Formositas pari passu sequitur. Omnis pulcritudo præsupponit sanitatem, nemoq; propriè & verè pulcher, quin & sanus.

2. Possessores. Si produci in scenam cupitis Exempla, hominum formosorum, possent sanè innumera dari. Sed ex plurimis hæc pauca sufficiant. Inter Natos mulierum nullus fuit Pulcrior Salvatore nostro Christo, cujus effigiem nobis descriptam dedit Nicephorus. Nullum potest dari punctum, ad perfectum formæ decus, & speciem pertinens, quod non tulerit, & in corpore suo sanctissimo possederit Salvator. Præter eum, in sacris etiam celebres sunt, ob

Pulcri-

Pulcritudinem, Absolom, Sara, filiæ Jobi, Rebecca, Judit, Esther. In profanis Xerxes, Jason, Alexander M, Paris, Helena, Aspasia, Phryne, &c.

2. Finis: usus, proprietates. *Quæri dehinc potest, cui fini & bono DEUS, ac natura usq; adeo statuerint decora specie insignire humanam progeniem? (cæteras res ad hominem esse reducendas, jam antè monuimus,) Responderi potest. Universalem finem esse perfectionem universi, quæ non solum in multitudine, in varietate, in bonitate rerum Physicarum, sed etiam in earundem pulcritudine consistit. Mundus omnium Corporum est Pulcherrimus,*

Non alio Mundus debebat nomine dici,
Nomen ab ornatu convenienter habet.

Mundus autem quid aliud est, quam naturalia corpora simul collecta decenti ordine? Inter corpora autem naturalia, Homo est mensura, μέτρον, Exemplar, & Compendium Universi. Igitur, vel maximè hominem oportebat donari pulcritudine, siquidem mundus ipse pulcher esse, & perfectus debebat. Est præterea & alius finis particularis, scilicet mutua inter homines conspiratio, amor, benevolens conversatio, quæ fundamentum suum in pulcritudine collocatum habent. Atq; hæc est propria formositatis, tum utilitas tum proprietas. Nimirum de essentia cujusvis rei pulcræ est, amari, desiderari, appeti; qui amor, qui appetitus, mirabiles concitat motus, in animis mortalium. Pulcritudo tantum valet, ut ex insa-

nis,

nis, furibundis, fatuis reddat sapientes, prudentes, tranquillos. Exemplum legite apud Bocatium, in Decamero de Cimone. Quin & vice versa, tanta ejus est vir, ac potestas, ut ex intelligentibus reddat fatuos & insanos. Exemplum invenietis apud Ovidium, in Metamorph: Plautum in Comœd.

7. Contrarium. *Pulcritudini contraria est deformitas, quæ, quantum ista amatur, tanto habetur odio. Intelligi verò deformitatis natura facilè potest, ex benè perpensa pulcritudine. Contrariorum enim contraria sunt Consequentia.*

Ob deformitatem celebres sunt, Thersites Homericus, Æsopus fabulator: Socrates Philosophus, qui tamen duo postetiores, animi excellentia, sapientiâ, & virtutibus recompensarunt & texerunt corporis turpitudinem. Quamvis enim plærumq; in corpore pulcro, pulcher habitet animus; in turpi vitioſus, tamen quandoq; etiam usu venit, ut qui corpore sunt deformes, animo sint formosi, id est, prudentes, eruditi, mansueti &c. Nimirum quando per Philosophiam, & virtutum præcepta, correxerunt nativam animi indolem sequiorem, quod Socratem de seipso fassum fuisse Historiæ testantur.

II. DE THEMATE CONJUNCTO.

Per quæ Capita deducitur Explicatio Thematis conjuncti, seu integræ propositionis?

Omnis quæstio ex prædicato & Subjecto com-

composita eâdem, qua simplex Thema, Methodo explicari & tractari potest; seu ea sit astruenda, seu destruenda: Nimirum per hæc capita, quæ sunt.

1. Nomen. Quæstionis, tam Subjectum, quam prædicatum, accuratè liberentur homonymia, & variis significatis; indicetuŕq, quæ acceptio sit rei propositæ conveniens.

2. Quæstio an sit? Hæc perpetuò præmitti amat reliquæ confirmationi, non quasi partes ejus dubiæ sint, aut probari postulent, quia tam Subjectum quam prædicatum quæstionis indubitatum est: Solummodo quæritur convenientia, aut diffidium utriusq;. Postquam igitur instar Dubij proposuimus Quæstionem, indicare mox oportet utram partem, affirmantemne, an negantem defendere animus sit.

3. Quid sit? Hæc quæstio suppeditat ingentem acervum Argumentorum, quæ peti possunt ex genere, differentia, materia, forma, partibusq; aliis, tam Subjecti, quam prædicati, adeoq; duplo plura suppetunt pro confirmatione compositæ Quæstionis, quam simplicis. Sunt enim illic duo termini: hic saltem unus.

4. Subjectum: quod in solis datur accidentibus, Substantiæ enim Subjecto nulli insunt.

5. An

5. Antecedentia; ut Efficiens.
6. Consequentia.
7. Pugnantia, seu Contraria.
8. Testimonia.

1. Exemplum. Quæstio. An Mundus sit æternus? astructa & defensa.

1. Nomen. *Explicaturus hanc Quæstionem An mundus sit æternus? Per mundum intelligo σύστημα, ex cœlo & terra, & corporibus intermedijs. Per æternitatem verò, durationem, initio & fine carentem. Sane Mundi vox πολύσημος est, & plurimis distinctis rebus attribuitur, 1. Ornatui muliebri 2. Hominibus sese volutantibus in peccato, in sceleribus, sicut in sacris accipitur. Verum nos eo, quem indicavimus, modo Mundi voce utemur.*

2. An sit? *Hæc Quæstio an mundus sit æternus, multorum animos transversos egit. Eam affirmarunt defenderunt Plato, Aristoteles, Proclus, aliiq; quam plurimi Philosophi, quorum rationes & multæ, & haut infirmæ sunt. Ego è plurimis paucas proferam in medium.*

3. Quid sit? 1. A Materia. *Æternum esse mundum probari potest exinde, quod præter mundum nulla sit materia, ex qua in tempore generari potuerit. Quidquid aliquando cœpit, neq; fuit perpetuò, illud ex alia præsubstrata materia factum*

fuisse necessum est. Ex nihilo enim nihil nascitur. Jam præter mundum nihil est Corporum, vel materierum, unde potuerit produci. Non ergo est factus: proinde fuit ab æterno.

2. A Forma. *Sed alia accedit ratio. Perfectissimo corpori, perfectissima est forma. Mundum verò omnibus numeris absolutum esse, quis inficiabitur? Ast verò non est perfectissimum id, quod aliquando non fuit; pòst saltem cœpit esse. Perfectio summa secum fert, & præsupponit æternitatem.*

3. A Partibus. *Enimvero Philosophi antiquiores omnes Mundum Universum, & nobiliorem ejus partem cælum, dixerunt esse sedem DEI. DEUS autem cùm ab æterno fuerit, in omnem æternitatem duraturus, quomodo aliquandò sine pulcherrima sua sede esse voluit? Certè si cœlum olim non fuit, caruit sua pulcritudine, Ens Pulcherrimum DEUS. Si ab æterno fuit Cœlum, fuit utiq; & mundus, cujus portio princeps Cœlum. Dicam evidentius, quum mundus sit totum quid, cujus variæ partes integrantes, præstantior inter eas & divinior est, Regio Cœlestis, quam sua natura participem æternitatis, immunemq; esse ab omnibus legibus generationum & corruptionum, non solùm Aristoteles argumentis adamantinis astruxit sed & Experientia tot mille annorum eventu stabilivit. Quis enim in cœlo ullam factam mutationem observavit? Quis in eo corruptelam factam, aut de novo aliquid genitum unquam animadvertit?*

vertit? At cœlo æterno, æterna esse oportet ea quæ cœlo includuntur.

4. Subjectum hîc non habet Locum.

5. Antecedentia. *Venio ad DEum, Mundi Causam efficientem: quem æternum esse, immutabilem, optimum, extra omne est dubium. Quidni ergò æternus fuerit mundus? Certè DEus vel non potuit, vel non voluit eum facere æternum. Non potuisse, blasphemia est dicere; alioquin non foret omnipotens. Noluisse, etiam invidiæ esset nota, cum quod factu fuisset optimum, facere distulisset, aut noluisset.*

6. Consequentia. *Sed & motus, tempusq; evincunt eandem mundi æternitatem. Tempus non cœpit: quia cœpisset in alio tempore: Proinde Tempus semper prius fuisset, id quod est æternum esse. Motus etiam non potuit esse productus; Fuisset enim productus per alium motum priorem, cum quicquid fit, per motum fiat. Ita & motus semper antecessit motum, idest, æternus fuit. Jam verò si motus est æternus, etiam mundus est æternus. Accidens enim sine subjecto esse nequit. Mundus verò est motûs Subjectum.*

7. Pugnantia. *Qui Mundo æternitatem derogat, is videtur unâ operâ tollere ejusdem summam perfectionem, summam pulcritudinem. Nam quod aliquando non fuit, id certè neq; perfectißimum esse potest, neq; pulcherrimum.*

3. Testimonia. *Postremò si quis desiderat in Scenam produci Testimonia; si quis auctores, quibus propositum Thema de mundi æternitate placuit, quiq; pro eo ceu aris focisq; pugnarunt, is sciat ad manum nobis esse, & proferri sexcentos posse; Aristotelem, Proclum &c. Sed brevitati constituimus hac vice studere.*

II. Exemplum. Quæstio Eadem, De Æternitate Mundi, Destructa.

1. Nomen. *Mundi vocem non adjectivè, pro eo qui nitidus, liberq; est à spurcitie: sed substantivè, pro tota hac rerum universitate, à me hoc loco accipi, præmonitos vos velim. Per æternitatem verò audire vos oportet, non prolixam aliquam temporis moram, quali sensu scriptores multi illa æterna vocant, quæ durant diu, ut Plaut. Cap. Spero me ob hunc nuntium æternum adeptarum cibum. Item, Æternum tibi dapinabo victum. Tibull. æterno sed erunt tibi magna volumina versu. Verùm æternum nobis est, cui nec principium unquam fuit, nec finis aut exitus futurus, quali æternitate præter summum Ens DEUM Opt. Max. nihil rerum creatarum fruitur.*

2. An sit? *Nervus & caput mei discursus est, an machina hæc mundana sempiterna sit? id est, an nunquam cœperit esse? nec unquam sit desitura? sed*

in

in omnem æternitatem perennatura, ut sine initio, ita sine fine? Scio esse quibus hæc animo sententia sedit, facientibus coævum ipsi DEO mundum, Principij & interitus carentem. Sed cum hoc dogma, tum à bona mente, tum à Natura ipsa, tum à pietate alienum sit, operæ precium erit demonstrare rationibus solidis, & non fucatis, Mundum non esse æternum, sed conditum olim in tempore, & desiturum olim in tempore.

3. Quid sit? *Atq; equidem principiò æternitatis essentia, cum mundi, corporumq; eo comprehensorum naturâ, e diametro pugnat. Æternitatis illa definitio, quam Boët. lib. 5. Conf. Ph. proposuit, ab omnibus Philosophis & Theologis, summæ perfectionis & accuratæ diligentiæ laudem commeruit. Ea est hujusmodi:* Æternitas est interminabilis vitæ, tota simul & perfecta possessio. *Quantum ad præsens Thema attinet, quidquid æternum est, id 1. Oportet vitâ præditum esse. 2. possidere perfectionem interminabilem, non successivam; sed quæ sit tota simul. Conferat jam aliquis animi suâ cogitationes ad mundum, & res mundanas. Consideret quid sint? Inveniet utralibet conditione carere. Mundum Arist. lib. de mundo, definivit* σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς, καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων. *Mundus est cœli, stellarum, quatuor Elementorum, corporumq; his contentorum*

Systema Cœlum, Elementaq3, vita prædita esse, nullus unquam sanæ mentis asseruit. Nihil in mundo vivit præter plantas & animalia, quæ profecto minimæ sunt, & vix (si molem spectes) cum toto conferendæ particulæ; Atq3 eæ adhuc tales, quæ nemine diffidente indies intereunt, & nascuntur. Proinde interminabilis perfectionis participes non sunt, veluti nec priora ista, vitæ. Ulterius; Cœlum, Elementaq3, & quidquid est rerum mundanarum, non possident perfectionem quæ tota sit simul, sed talem, cujus pars parti succedit. Nihil est in natura quod non sit subjectum motui. Natura quippe est principium Motus. Motus vero essentialiter positus in successione & fluxu, non est totus simul, sed aliquid prius, aliquid posterius habet. Agite contemplaminor partes Mundi omnes, à summis usq3 ad infimas, deprehendetis nullam esse non obnoxiam mutationibus. Æterna autem quæ sunt, ea immutabilia, extra supraque omnes existendi, & non existendi vices posita, constantiâ sempiternâ, & perpetua durabilitate fruuntur. Cœlum cœloq3 inclusa Sydera, non solum repetita circumgyratione singulis diebus agitantur; Sed etiam vicissitudines experiuntur, in intima sua Substantia. Testes sunt tot stellæ novæ, non in regione Elementari, sed (quod deprehenderunt nobiliores Astronomi, infallibilibus Observationibus) ipsis cœli penetralibus genitæ, & post menses multos iterum exstinctæ. Testis est ipse Sol, quem maculæ contraxisse

xisse luridas & rotunditatem suam in Ideam Elliptícam permutasse, similiter observatum est. Quòd si talis mutabilitas cœlo inest, parti mundi nobiliori, perfectiori, majori, quis mundum æternum esse asseverabit?

4. Subjectum hîc non habet locum. Mundus enim Substantia est, nulli Subjecto inhærens.

5. Antecedentia. *Forro si in Consilium adhibeamus vel ipsum Aristotelem, æternitatis mundi assertorem strenuum, prodidit ipse tale axioma: Quidquid fit, ab alio fieri. Nihil se efficere ipsum. Nihil sibi ipsi τὸ εἶναι, & subsistentiam largiri. Hoc si verum, (uti est verissimum) infallibili necessitate sequitur, Mundum nec per se exstitisse, nec à seipso productum, sed ab alio. At vero si productus est ab alio, profectò non fuit ab æterno. Antequam enim produceretur, non erat. Neq; si ab æterno fuisset, productus ab alio dici posset. Æternitati enim planissimè adversatur, productio ab alio, tanquam ab efficiente.*

6. Consequentia. *Videte verò quantæ absurditates consequantur dogma illud, quod æternitatem mundo ascribit. Exinde sequitur, infinitos actu homines jam antehac vixisse; & infinites actu nascituros imposterum: (æternitatis enim comes Individua est Infinitudo;) quo quid dici absurdius potest? Sequitur exinde in Mundo dari plura Infinita actu.*

Cæli enim motus si fuit ab æterno, infinities fuit repetitus. Infinitæ Solis, Lunæ, & fixarum revolutiones, & elapsæ sunt, & dehinc elabentur. Infinitæ fuere æstates & hyemes. Infinitæ generationes hominum: quæ Infinita plura eaq; distinctissima sunt, non quidem potestate, sed actu, quæ profatu ineptissima sunt, & aliena ab omni bono sensu. Deniq; sequitur exinde, Infinito dari aliquid majus, quod non solum incredibile est, sed & impossibile, & cum contradictione conjunctum. Infinitum enim est, quod omnia implet, extra quod nihil est. Jam verò ab æternitate, usq; ad hoc tempus, infinitos oportuit esse dies & noctes, quibus si accesserint dies noctesq; sequuturi, in futuram æternitatem, augebitur prior ille numerus ab his, adeoq; priori infinito dabitur aliquid infinitum majus.

7. Pugnantia. *Sed quid opus est pluribus? æternitas mundi bellum infert ipsi naturæ, ipsi DEO. Naturæ quidem, quoniam nullum corpus finitum, infinitis prædirum est viribus. Esse autem Mundum finitum quis ignorat? Cœlum finito & determinato motu fertur: figura rotunda finitur & circumscribitur; nullumq; est cæterorum Corporum, quod non sua terminetur forma definita. Esse verò finitum, & esse infinitum, non minus adversis frontibus concurrunt, quam ignis & aqua, Lux & tenebræ. Infinitum verò idem cum æterno. Quapropter cum Mundus sit finitus, quis tam esset à ratione aversus, ut*

eum

eum simul æternum, id est, infinitis donatum viribus affirmet? DEO verò adversatur Mundi æternitas, quia cum DEus sit Ens Infinitum, æternum; duo autem esse æterna, duo infinita simul distinctarum naturarum, non magis possibile sit, quam duos esse Deos, facile conjectari habetis, cum æternitate Dei, non posse consistere æternitatem Mundi.

8. Testimonia. *Nos qui adminiculo SS. eve. cti sumus, ad pleniorem Dei agnitionem, quàm gentilium Philosopborum caterva, didicimus à Moyse, Mundum non quidem per generationem ex præsubstrata Materia, sed per creationem ex Nihilo, DEI omnipotentis Verbo, in tempore fuisse productum, postquam antè non fuisset; itemq; flamma denuo absumptum iri, in extremitate temporis. Sed & sanam hanc sententiam fuere professi, plurimi inter Philosophos Ethnicos, e quibus meritò præcipua laus debetur Platoni, qui (sequius ac ipsius discipulus Aristoteles) argumentis tum subtilibus, tum robustis eam constabilivit.*

IV. DE REFUTATIONE DIDASCALICA, Quarta parte Dispositionis.

Quid est Confutatio?

Est rejectio illorum, quæ vel adversarij contra nostram Thesin objiciunt, vel quæ falsò de ea scribuntur ab aliis.

Quomodo instituitur Refutatio?

Quinq; Modis; qui sunt. 1. Negatio simplex. 2. distinctio, vel limitata concessio. 3. Instantia. 4. Fiduciaria reprobatio. 5. Retorsio.

1. Exemplum Refutationis in Themate simplici.

1. DE TTRANNO.

1. Per simplicem Negationem. *Aiv, Tyrannos interim, dum sæviunt, esse fælices, omnium rerum ex voto potiri: in extremo apice honorum versari: neminem metuere, quia absolutâ potestate gaudent. Nego tibi id simpliciter. Non hæc fælicitas est; Miseria est potius. Felicitas non in auro, argento, rerum affluentia consistit. Ita certè navis vehens, aut asinus dorso gestans Thesauros, felices forent. Non in honore. Is enim in honorante est. Nisi alij velint honorem tibi exhibere, quis honor tuus? Vera felicitas residet in animo, qui Tyrannis neq; tranquillus est, neq; integer, sed perversus. Falsum autem est, quòd neminem metuant. Quin metuunt omnes: ideo è medio student tollere omnes. Tyrannum metuunt alij, & ille alios.*

2. Per distinct: *Iterum aiv, Tyrannos non esse ita alienos à pietate ac virtute ut perhibentur. Diligunt amicos suos, ministros suos fideles, suos liberos, uxo-*

uxorem: At scias necesse est, distinctione hîc opus esse. In Tyranno multa concurrunt. Uti est homo; vivens in conjugio, non potest non amare suos. Hic respectus est privatus. Uti est persona publica, ita debebat etiam propriæ saluti anteferre communem. Id verò neutiquam facit.

3. Per Instantiam. Pergù, Et multi (aiù) tamen Tyranni naturali morte intereunt. Non omnes violento obitu visi sunt perijsse. Respondeo; sint sanè pauci morientes naturaliter. At multò plures per vim occubuerunt. Exempla passim sunt obvia &c.

4. Per fiduciariam reprobat: Aliud adhuc est, quod nos urgere videtur. Tyranni melius in officio continent subditos, dum vigore suo utuntur. Ajo ego, posito eo, non concesso, ut vel maximè sic frænent subditos, id tamen excusare eos non potest. Quoniam disciplina hæc violenta est; ab humanitate aliena est: sanguinolenta est.

5. Per retorsionem: Retorques denique, duobus modis subditos saltem regi posse, aut vi, aut mansuetudine. Cur non uterentur violentia Tyranni, cum hæc sic tutior? sed heus tu, Cur non uterentur mansvetudine, cum hæc sit melior, & durabilior?

2. Exemplum refutationis. De Gallo Gallinaceo.

Verum enimvero, audio mihi obstrepentes adversarios,

sarios, osores generis Gallinacei, qui nusquam in ædibus eos, nisi bene coctos, mensisq; illatos, ferre possunt. Ajunt illi, Gallum esse animal incommodissimum vociferatione suâ. Quippe nocturno, & matutino imprimis tempore, quando somnus homini gratissimus, & suavissimus est, gallos clamore suo interturbare quietem: de somno excitare tam sanos, quam morbo laborantes. Eam ob causam Sybaritas nullos in Republ. sua gallos vel educasse ipsos, vel aliunde illatos toleravisse; quoniam requietis essent hostes infensissimi; vigilias, corpori sæpe perquam noxias, inducerent; somnum etiam invitis excuterent.

Ast verò frivola hæc sunt, neq; magni momenti. Principio de Sybaritis, parum equidem sumus solliciti: Fuere illi Epicuri de grege porci, solis dediti voluptatibus: Cumq; homo ad vigilandum magis, quam ad dormiendum natus sit, ipsi saburrato, & curato benè abdomine, somnum Sorbilem honestis anteferebant vigiliis, dormientes tanquam glires; atq; adeo ægerrimè ferentes, si quis eorum quietem interrumperet. Apage sis talia naturæ monstra, Hominis nomine vix digna! Illi quibus de meliori luto finxit præcordia Titan, qui non vivunt ut edant, sicut isti; sed edunt ut vivant, gallorum cantibus, tantum abest ut offendantur, ut potius libentissimè illos audiant, laudent, iisq; habeant gratias, quòd profundiore obruti somno inde excitentur, & ad opera solita perducantur. Pigrorum est & Veternosorum nolle è somno

somno excitari aurora ingruente. Alacres & diligentes volenter auscultant Cristatis sonantibus lucis avibus.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουλή φορον ἄνδρα. *Pulcra sunt quæ super hac re habet Ambros. Hexam. Galli, inquit, Cantus non solum suavis sed etiam utilis: qui quasi bonus cohabitator dormientem excitat: sollicitum admonet: peregrinantem solatur. Processum noctis canora significatione protentans. Hoc canente Latro suas linquit insidias. Hoc canente mœstitiam trepidus nauta deponit; tempestasq́; vespertinis flatibus excitata, & procella mitescit. Galli cantu spes omnibus redit. Ægris levatur incommodum; minuitur dolor vulnerum; revertitur fides lapsis: Jesus respicit Petrum, & statim error recessit. Hæc D. Ambrosius.*

Supersunt postremò refutandi illi, qui de Gallinaceo fabulas, nescio quas fabulati sunt, quas alij ab alijs cœptas, tanquam Oracula propagarunt. In horum numero. 1. est, quod inter Gallinaceum & Leonem Capitale sit odium, ita ut Leo ad Galli cantum expavescat, & Terrore percutiatur; neq́; ejus præsentiam ullo modo ferre poßit. 2. Quod Gallus jam decrepitus, novennis, ovum pariat: ex quo post excludatur Basiliscus, animal solo visu enecans quælibet obvia. Sed hæc sunt somniorum interpretamenta, & meræ nugæ; Nam quod attinet 1. ad Leonem,

non

quòd non solum hic nihil timeat Gallum; sed etiam Gallos cantantes, gallinas cucurrientes, cum omni prosapia pullorum persequi, aggredi, abripere, & avidè devorare amet, id exemplis, experientia quotidiana abundè confirmatis, demonstravit Phil. Camerar. Horis succisiv. quorsum vos ablegatos volo. Ad 2. Nihilo minores gerræ sunt, quæ de Basiliſco genito ex ovo gallinacei circumferuntur, Totus mundus Gallorum plenus est. Nulla tamen historia fide digna testatur, basiliscum ullo sæculo, ullo in loco genitum: Gallinæ ova parturiunt non galli: Aut si omnino contingeret gallum oviparum esse, esset id potius in juventute quàm senio. Fateor equidem interdum in Gallinacei ventre inveniri massam, alba pellicula (non putamine) circumdatam. Verùm eam non parturit gallus, ut sua gallinæ ova; neq; vivum exinde animal ulla ratione produci potest. Proferat mihi aliquis Exemplum in tota hac rerum universitate, ubi ex optimo & saluberrimo animali (qualis gallinaceus) vivo, vegeto, naturaliter generetur animal aliud pestilentißimum, & nocentißimum, qualis fingitur Basiliſcus.

II. Exemplum Refutationis in Themate Conjuncto.

De mundi æternitate.

Quemadmodum ager nullus tam beneficus est, qui segetes producat absq; spinis, ut non inter fruges lauda-

laudabiles lolium & steriles dominentur avenæ: Ita nulla est tam bene fulta rationibus assertio, quæ non prematur adversariorum objectionibus. Mundi æternitatem quanquam hactenus argumentis firmissimis evertimus; fuere tamen inter Philosophos Aristot. Proclus: Averrh: & alij, qui eam probatam facere conati sunt, excogitatis specciosis sanè & primo intuitu quantivis precij, rationibus. Eas ex animis vestris, tanquam herbam noxiam evelli, & penitus eradicari, tum mea, tum vestrûm interest.

Principiò ajunt adversarij. Nihil per naturam produci posse, nisi per generationem ex materia, in tempore, mediante motu. Nam quidquid fit, ex alio fit (ex materia) In tempore fit: successivè fit, per motum. Jam verò materia prima, commune mundi principium, ex quo potuit generari? Non ex nihilo. Ergo ex materia alia. Et hæc unde? Item ex alia; Atq; ita ibitur in infinitum, eritq; materia æterna, & Mundus ipse æternus, quia extra mundum, & absq; formis mundanis materia esse nequit. De tempore similis nectitur ratiocinatio. Si mundus fuit genitus, aliquando fuit genitus, & in Tempore. Tempus igitur fuit ante productum mundum, quod nunquam potuit incipere, id est, æternum fuit.

Porrò posito tempore, ponitur cœlum, & totus Mundus, cujus major & præstantior pars cœlum. Idem de motu intelligendum. Deinde DEUS ipse

produ-

producitur in Scenam ab Æternitatis mundanæ defensoribus. DEus, inquiunt, idem manens, immutabilis, perpetuò sibi similis, semper natus est idem facere. Mundum igitur fecit ab æterno. Alioquin si aliquando aggressus esset mundum facere, varietati & mutationi fuisset factus obnoxius. Aliter enim se habuisset antequam efficeret; & aliter postquam fecisset; eaq; diversitas, non ex ipso mundo potuit duci, utpote qui nihil planè erat, sed ex opifice DEO, qui nondum facto mundo, nondum erat efficiens, nondum conservator, nondum director, nondum judex, quos respectus & varietates assumpsit Mundo jam condito. Cum enim Causa & causatum sint relata, sicuti mundus productus de novo cæpit esse causatum, sic accidit tum DEO, de novo esse causæ: Quæ omnia absurdissima, & impia maximè declinari possunt, si mundus æternus, Deoq; ipsi coævus statuatur. Accedit & hoc. Quod DEus & Natura semper faciant id, quod optimum. Melius est autem Mundum semper esse quam non esse. De Natura boni est, seipsum communicare alijs. Deus vero summum bonum. At si Mundus ab æterno non fuit, DEus non semper impertitus est bonitatem suam alijs rebus, adeoq; non fuit summè bonus;

Quidquid est tum harum, tum similium Objectionum, & difficultatum in Quæstione de mundi æternitate, id ex gemina præcipuè radice pullulavit: Nimirum perspasum sibi habuerunt prisci illi. i. per solam

solam generationem, non etiam creationem aliquid produci posse. 2. DEum esse ens alligatum necessitati naturæ, non agens liberum.

Nos econtra non solùm è sacris literis, quas fortassis isti vel non legerunt, vel in nullâ auctoritate posuerunt, sed ex communibus Philosophiæ principijs, tum didicimus, tum demonstrare novimus. 1. Creationem dari, & per eam mundum esse productum. 2. DEum esse agens liberum, non astrictum necessitati Naturæ. Adhibitis his duobus arietibus, dirui se levissimo ictu patiuntur omnes isti obices, pro æternitate objecti.

Quod ad primum attinet: Generatio sanè est productio Rei ex præsuppositâ materia, per motum in tempore. Hæc tota ad Naturam pertinet; Ac talis quidem mundo Origo non est; Nosq; ultro & haut inviti largimur adversarijs, omnem illum apparatum argumentationum in prima acie propositum. Creatio verò est productio Rei ex nihilo, extra tempus; extra motum Physicum. Hæc non est naturæ, sed Dei, Entis infiniti, propria: perq; eam nos profitemur mundo datam Originem. Talem creationem quidni potuissent ex philosophiæ principijs elicere, agnoscere, & demonstrare isti Philosophi? Fassi sunt ad unum omnes, esse DEum, qui sit æternus, infinitâ potestate præditus. Fassi sunt eundem esse supra Naturam. Nunc verò si Natura finita, opera sua producit, ex Materia in Tempore: Deus verò est infinitus supræ

Naturam, annon sequitur necessariò, Deum producere posse opera ex non materia, seu Nihilo, in non tempore? Sic fecit mundum DEUS per creationem ex nihilo; (quia materiâ non indiguit, ut Natura, supra quam ipse est:) non in tempore per motum, (quibus Natura astricta,) sed ante tempus, sine motu, solo verbo.

Hoc primum est. Objectio altera, à parte DEI deprompta, æquè faciles habet explicatus. Inferunt ista de DEO, non ab æterno sed in tempore creante. 1. Mutabilitatem. 2. Invidentiam. 3. Impotentiam. Sed horum nihil DEO convenire potest, etiamsi non ab æterno, sed in tempore creaverit mundum.

1. Non mutabilitas; Quia esse Creatorem, vel opificem, vel causam efficientem, secum fert respectum quidem ad creaturas realem. At verò ad creatorem saltem rationalem, seu, ut loquuntur Philosophi, terminativum. Nulla hîc in creatore novitas, aut variatio, sed in creaturis. Assumpsit de novo nomen creatoris, quia creatura facta est ab eo. Scilicet DEus æternus ab æterno voluit mundum facere, non æternum, sed novum. Voluntas igitur in DEO fuit immutabilis. Mundus verò novus.

2. Non invidentia. Enimvero ille demum invidus est, qui quod præstare tenebatur, non præstat. DEus autem cuinam erat astrictus? cui debebat productionem Mundi? Bonum quidem est communicativum

tivum sui. *At bonum erat, imò melius erat mundum non esse, quàm esse ab æterno. Quia ex novæ mundi molitione manifestiùs cognoscebatur DEI gloria, omnipotentia, libertas, voluntatis, providentiæ rerum omniũ, perfectaq; independentia à rebus creatis; hæc, inquam, multò clariùs elucebant, ex novæ mundi effectione, quàm ejusdem æternitate.*

3. *Non deniq; Impotentia. Siquidem velut potuit DEUS mundum condere in tempore, ita potuisset multò priùs. Verùm qvum sit agens liberum, nullâ necessitate impulsum, tum, cum voluit eum producere, potuit. Quod ab æterno non fuerit creatus mundus, non arguit impotentiam in DEO: Sed impotentiam in creaturis, quarum essentiæ repugnabat esse creatori coæternum & coævum.*

V. DE PERORATIONE, seu Conclusione Didascalica, quinta parte Dispositionis.

Quid est Peroratio?

Est Conclusio totius Orationis.

In quibus consistit Peroratio?

In duobus. 1. In succincta repetitione eorum quæ dicta sunt, cum brevi adhortatione

ne aut dehortatione. 2. In gratiarum actione & oblatione officiorum.

Exempla.

1. In brevi repetitione.

1. *Finem jam dicendi facio; Atq; ita pro Ingenij mei tenuitate ostendi vobis, verissimum esse effatum Isocratis, de Studiorum radicibus amaris, & fructuum dulcedine; quod ipsum sibi commendatum habebit quilibet, qui optat particeps fieri suavissimæ voluptatis, & gratissimi commodi, quod cultoribus suis largitur Eruditio, ne scilicet se patiantur deterreri prævijs difficultatibus.*

2. *De Tyranno hactenus pro re nata, & ingenij modulo discursum aliquem institui, qualeq; sit hoc monstrum, graphicè vobis posui oculos. Et, si quis est βασιλεὺς ἀγαθὸς, quam dissimillimum se præstare studebit.*

3. *Audivistis, quæ de Zenonis breviloquentia huc usq; vobis commemoravi, quibus haut dubio intelligitis, cuilibet eleganter erudito operam dandam, ut non tam brevi atq; obscurâ, quam dilucida, amplâ, & disertâ oratione animi sui cogitata efferat.*

4. *Sed Subsisto hîc, & verborum desino: atq; ita breviter, quantum instituti mei ratio passa est, eversum prostratumq; dedi, pernicioſum illud, de mundi æternitate, dogma; quod non solùm ex sacris literis,*

sed

sed & luce Naturæ refutari, & falsitatis coargui posse, colligere potuistis ex ijs, quæ dicta à me sunt.

II. In Gratiarum actione.

1. *Habeo autem vobis gratias, quòd tam benevolè mihi auscultare volueritis, rogoq́, ut quæ ex tempore, non ita diu meditata protuli, in meliorem partem interpretari velitis. Ego quidquid à mea tenuitate proficisci potest, iterum vobis prothymè & libenter offero.*

2. *Gratias vobis ingentes ago, quòd me haut gravatim audire volueritis, rogans ut tenuitati meæ ignoscatis. Ego iterum officiola mea quolibet loco & tempore vobis prompta parataq́ offero.*

3. *Quod Orationi meæ tum attentè, tum benevolè, non solùm aures animosq́ præbere, sed & hucusq́ præsentiâ vestrâ aßistere, & consessum ornatiorem facere volueritis, eo nomine me magnis gratiis vobis obnoxium profiteor. Rogo autem quàm possum officiosè; & submißè, ut si non omnia, eâ qua par fuit ἀκριβείᾳ, adduxi, æqui ac boni consulere dignemini. Ego quantum in me est, tantum omnibus ac singulis prolixè & meritò offero.*

4. *Gratias vobis habeo immortales, quod præsentiâ vestrâ, tenuem hunc meum discursum exornare, & ei benignè auscultare volueritis. Quanquam mearum non sit virium, hostimentum aliquod condignum vobis pro hoc beneficio reponere, tamen hono-*

rem & observantiam meam nunquam non promptissimam offero. DEUM Optimum Maximum, supplicibus votis oro & Veneror, ut Academiam hanc, & omnes in ea docentes, atq; discentes, patriamq; Urbem & provinciam totam, sibi habere commendatam, ab incommodis porrò tueri, & optata tranquillitate, rerumq; affluentiâ beare dignetur.

II. DE GENERE DEMONSTRATIVO.

Quodnam est Subjectum Generis Demonstrativi?

Duplex. 1. Encomium, seu laus alicujus rei. 2. Vituperium, seu repræhensio.

Quotuplices sunt res laudandæ aut vituperandæ?

Nihil est in hac rerum Universitate, quod non habeat suas dotes, ob quas laudari: suos nævos, ob quos culpari mereatur. Neq; ipse Deus renuit se huic generi submittere: Neq; piorum adversarius Diabolus; cujus laudes enatravit Johannes Bruno Italus. Compendij tamen causâ, constitui possunt sex classes, ad quas patentissimus ambitus omnium rerum laudandarum, aut vituperandarum revocari potest. Hæ sunt.

1. Ho-

1. Homo.
2. Bruta.
3. Stirpes.
4. Corpora inanima.
5. Regiones, Urbes, aliaq; telluris loca.
6. Qualitates.

I. Homo est vel Mas, vel Fœmina: Fœminarum Encomium scripsit Cornelius Agrippa. Viri etiam mali laudari possunt; Ita Isocrates laudibus extulit Busiridem; Boni vituperari: sicut Polycrates scripsit vituperationem Socratis.

II. Bruta; ut Eqvus, cujus laudes deprædicavit Dubartas: Asinus, de cujus, ut & umbræ ejus laudibus, commentati sunt varij, interq; alios Archippus antiqvus scriptor. Pediculus, quem commendavit Heinsius. Culex à Virgilio. Musca à Luciano laudata.

III. Plantæ; ut Rosa, de cujus laudibus Anacreon, & Sapho.

IV Inanimata: ut Metalla, aurum, fertum &c. Cælum, Elementa, ut ignis, aqua, &c. Sic ignem Chaldæi, aquam Ægyptij prædicabant, & colebant tanquam Deos. Annipartes, Ver, de cujus Encomio Virgilius in Georg: Æstas &c. Lutum, quod laudavit Majoragus: Umbra; quam Wovverus.

V. Regiones; ut Europa, Italia; Cujus Elegans Encomium apud Virgilium: Georg:

2. Urbes, ut Roma.

3. Domus.

4. Insulæ.

5. Montes, ut Ætna, de cujus laudibus Virg.

6. Sylvæ &c.

VI. Qualitates; quales sunt,

1. Habitus mentis, ut artes liberales, Medicina, Jurispr. Illiberales, ut Venatio, quam laudavit Xenophon. Agricultura, quam Virgilius, Horatius.

2. Virtutes Morales; ut Justitia, Temperantia, & contraria vitia. Sic Erasmus laudavit stultitiam.

3. Habitus corporis: Ut Sanitas, morbus: Sic laudarunt Quartanam Phavorinus: Podagram Pirckhaimer: Calvitium, Synesius. Mortem Alcidamas Eleates.

4. Accidentia alia: ut Leges, politia, Conjugium. Exilium, quod laudavit Agrippinus, &c.

I. DE EXORDIO GENERIS DEMONSTRATIVI.

Unde petitur Exordium Generis Demonstrativi?

Interdum ex iisdem capitibus, e quibus Exordium Generis Didascalici: (unde Exempla peti possunt:) interdum ab ipsis rebus laudandis, aut vituperandis, atq; id multiplici quidem ratione. 1. Simpliciter à personæ dignitate. 2. à chreja, aut gnome, aut loco communi, 3. à querela. 4. à voto. 5. à more laudabili.

Exempla.

I. In Laude.

1. Simpliciter à dignitate. *Si quis inter antiqua Eruditionis Lumina unquam meruit à grata posteritate laudari, certè Philosophorum ille celeberrimus Diogenes dignissimus est, cujus præconia laudum Publica voce decantentur. Ejus enim vita, tanquam Exemplar virtutum, cuilibet ob oculos versari debet.*

2. A Chreja. *De Heraclito refert Aristoteles, lib. gen. anima: quod cum is aliquando consedisset in casa furnaria, vidisset q; præ foribus esse, qui dedignarentur introire, memorabilem hanc vocem ediderit, Introite: nam & hîc Dij sunt: Eo dicto voluit*

indicare, nihil tam abjectum contemtumq; esse, in cujus conformatione, DEI & naturæ vis mirifica non eluceſcat. Nihil tam esse exile, quod dedeceat hominem contemplari. Ex earum rerum abjectarum, imò inviſarum serie, quanquam esse videatur Lumbricus, ſcabies maligna &c. tamen etiam illi ſua eſt excellentia, ſua dignitas, & laus.

A Loco communi. In Parentationibus. Omnibus hominibus poſitam esse vivendi metam, quam egredi nemo queat, ſeu ſerius ſeu ocius, id vero quotidiana experientia indies demonſtrat. Non opus eſt exempla è longinquo petere. Hæc dies, qua exequias ivimus viri incomparabilis, id abundè demonſtrat.

3. A Querela. Extulimus, Proh dolor, & Supremo humanitatis officio proſequuti ſumus N. N. virum ſupra Invidiam, ſupra communem hominum ſortem poſitum &c. O triſte fatum! ô caſum ærumnabilem & luctuoſum! &c.

4. A Voto. Utinam, auditores, ita fata tuliſſent, ut triſtiſſimo hoc dicendi munere abſtinere mihi liceret! Utinam diutius nobiſcum converſari, & rebus humanis intereſſe, ac præeſſe conceſſum fuiſſet Viro N. N. &c. non jam usq; adeo acerbo luctu quateretur hæc Reſpublica.

5. A more laudabili. Quod in auguſtum hunc locum conſcendi, non equidem privato quodam Conſilio impulſus id feci, ſed partim juſſus ab illis, quo-

quorum voluntas mihi pro lege est, partim communi luctu inductus. Nimirum præsentis tristitiæ publicæ magnitudo postulat, ut justa faciamus N. N. Ea consuetudo qua viris magnis de Republ. bene meritis, parentationem, id est, laudum condigna præconia persolvimus, neq; insolens est, neq; hodie aut heri cœpta. Jam olim apud Romanos &c.

II. In VITUPERIO.

1. *Quemadmodum qui Ictericiâ laborant, quidquid intuentur, flavedine tinctum judicant: ita illi, quorum animi jam antè occupati sunt præconceptâ opinione, quidquid ipsis videtur, id in cœlum extollunt, dignumne, an indignum sit, parum pensi habentes. Horum numero haut immeritò ascribo eos, qui Diogenem Philosophum Cynicum in summa laude ponunt; supra alios evehunt: cùm tamen reprehensione imò irrisione potius esset prosequendus.*

2. *Sicuti sub specie auri Obrizi, sæpe Orichalcum circumfertur, hominibusq; imponit: Ita plurimi populari famâ & externo Schemate sapientes æstimantur, qui reipsa aut stulti, aut sapientiæ parum admodum possident. Exemplo potest esse is, de quo dicturus sum N. N.*

II. DE PROPOSITIONE GENERIS DEMONSTRATIVI.

Quomodo Instituitur Propositio?

Eadem prorsus Methodo, quâ in genere Di-

Didascalico; scilicet. 1. In commemoratione rei laudandæ, aut Vituperandæ. 2. In Petitione attentionis, & excusatione sui.

Exempla.

I. IN LAUDE.

1. *Diogenis igitur vitam, moves, resq; gestas, æterna gloriæ cedro dignas, succinctâ Oratione commendare, & graphicè depingere, apud animum meum constitui, rogans ut per exiguum temporis momentum, ædes aurium vestrarum mihi vacuas facere, & me balbutientem humaniter audire velitis.*

2. *Quàm nobilis, quàm excellens sit Lumbricorum Indoles, id paucis demonstrare aggrediar. Dicturo igitur mihi de laudibus rei tam præstantis, ut animos auresq; attentas elargiri dignemini, peramanter oro.*

II. IN REPRÆHENSIONE.

1. *Verba proinde facturus sum de Roma (de Româ antiqua) ostendamq; immeritò ei à vulgo amplissimas illas laudes ascriptas esse; quem meum conatum, neq; vobis adversum futurum, neq; vos mihi audientiam vestram denegaturos, uti spero ac confido, ita officiosè & submissè obtestor.*

2. *Argumentum futuri mei sermonis, jam antè etiam me tacente, vos hariolari arbitror. Nimirum stat sententia, ob oculos vobis contemplandam præbere turpitudinem famosi illius Diogenis, adeoq; commonstrare, eum non solum fatuum, Scurram, impudicum,*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728212315/phys_0100
DFG

dicum, & imprudentem, sed & fraudulentum, sacrilegum, impostorem Publicum fuisse: Cui meo proposito, ut linguæ animis q3 favere velitis, etiam atq3 etiam vos rogatos volo.

III. DE NARRATIONE, seu CONFIRMATIONE generis DEMONSTRATIVI.

Ex quibus locis & fontibus desumitur series Narrationis, in Laude & Vituperio rerum?

Fontes illi quinque sunt.

1. Primordia Rei.
2. Affectiones corporis.
3. Indoles animi.
4. Circumstantiæ.
5. Finis.

Ex his quinq; sedibus depromi potest omnis materia, copia, & Argumenta rerum quarumcunq; (ad sex Classes paulò antè à nobis redactarum,) quæ seu laude, seu vituperio sunt mactandæ. Quilibet fons, peculiares suas possidet scaturigines, quas ordine proferam.

1. Hominem Laudandi, aut econtra vituperandi ratio.

1. A Primordiis.

Primordiorum nomine intelliguntur,

1. LO-

1. LOCUS NATALIS, SEU PATRIA.

LAUS. Patria est vel illustris, vel obscura. Illustris commendatur à Religione, Scholis, Ratione & Jure Reipubl., temperie cœli; quæ omnia nato gloriam conciliant, & animi corporisq; elegantiam.

Themistocles cuidam Objicienti, quod non ex sese, sed ob Urbis nobilitatem celebris esset, vera, inquit, prædicas. Neq; enim ego, si tuus popularis essem, clarus forem, neq; tu si Atheniensis.

Si obscura est Patria, Laudi vertitur, quod ei natus nomen conciliarit, eamq; sua virtute fecerit clarescere.

Quis nescit Ulyssem Homericum radiis virturis illustrasse obscuritatem Ithacæ? quæ fortè (absq; Ulysse esset) æternis tenebris fuisset etiamnum sepulta. Agesilaus, cum ei puero Choragus in Ludis Gymnicis locum assignasset minùs honestum, volens paruit. Bene habet, inquiens, ostendam quod viri honorem concilient loco; non locus viris. Etiam in loco ignobili nasci posse bonos & præclaros viros testatur *Juven. de Democr:*

cujus prudentia monstrat,
Magnos sæpe viros, & magna Exempla daturos,
Verecum in patria, crassoq; sub aëre nasci.

Apud

Apud Athenienses tam celebres, natus est, fatuus Meletides: apud socordissimos Scytas, Anacharsis sapientissimus; Cui cùm Atticus quidam exprobrasset, quòd patriam haberet Scytiam: Mihi, inquit, probro est Patria; Tu verò Patriæ. Breviter, nihil refert, ubi quis natus sit, dummodo sit bonus: Omne Solum forti patria est.

VITUPERIUM. Si Patria est celebris, natus dedecus meruit, qui eam deturpavit vitiis. Ut Sol putei aut cloacæ fundum non illustrat, sic nec hominem pravum illustris patria.

Si Patria est obscura, nihil mirum, si & obscurum ac illaudatum hominem produxit: In denso & tenebroso terræ elemento, non nisi Lumbrici & Talpæ generantur.

2. FAMILIA ET GENUS.

LAUS. Si prosapia splendida, accedit nato laus & Splendor à rebus gestis majorum: & præsumitur ipse excellens, juxta illud *Fortes creantur fortibus & bonis*. Si Infamis, subtricenda. Si plebeja, etiam hæc honori est, quod natus majorum suorum sortem illustravit sua virtute.

VITUPERIUM. Hic omnia invertenda. Si familia infamis, ea pluribus exaggeranda. Si illustris, nihil addit nato. *Nam*

genus

genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi, Vix ea nostra puto. Socrates dicere solebat, neq; frumentum Optimum judicari, quod in pulcherrimo agro natum est, sed quod optimè nutrit. Neq; virum bonum, qui genere clarus, sed qui moribus egregiis donatus. Si familia plebeja est, nihil mirum si dedit hominem non magni æstimij.

3. PARENTES. Hi propiùs tangunt natum. Cætera illi foris accedunt. Hîc tam in laude, quàm vituperio eadem notanda quæ in familia.

4. NATIVITAS. PRIMA EDUCATIO.

LAUS. Commendatur nativitas si facta sit fœlicibus auspiciis, concurrente fortunâ, congratulatione splendida. Commendatur educatio, si in primâ ætate, nato fuerit propensio ad virtutes, bona institutio; præceptores celebres: Sodales Ingenui.

VITUPERIUM. Nativitatem colluculat infaustus syderum positus; malum omen. Educatio culpatur si tulit præ se à puero, vafritiem, nequitiam, fallacias. Fuisse quidem optimè institutum, sed doctrinam infusam in vas non syncerum. Confixisse oculos cornicum etiam in infantia.

II. AB AFFECTIBUS CORPORIS.

Ad has referuntur

1. VALETUDO.

LAUS. Si valetudo bona & constans, felicitas est, juxta illud Philosophi, πρῶτον μὲν ὑγιαίνειν &c. Si debilis & varia, laus est, quòd eam patienter tulerit. Corpore invalido, anima solet esse vegetior. Si corpus robustum, tantò meliùs habitat anima. Tantò promptiùs incumbit homo actionibus debitis.

VITUPERIUM. Si sanitas firma, quid prodest homini malo, eâ abutenti ad nequitias? Est ceu ensis in manu furiosi. Si languida vel afflicta, ea arguit pravam totius corporis dispositionem, malam animi Indolem. Nam animi mores sequuntur temperiem corporis. Malus animus, malè habitat.

2. CONFORMATIO, seu FORMA CORPORIS.

LAUS. Si nato fuit pulcritudo, magna fuit ea dos naturæ. Conciliat enim gratiam & admirationem; & ut plurimum arguit pulcram mentem. Si forma turpis; Deformitas corporis animi virtutibus nihil obstat. Est va-

gina plumbea, in qua aureus gladius. Socrate nemo fuit turpior. Nemo tamen etiam sapientior: Formæ decor propriè mulierculatum est, quæ in ea magnam gloriæ partem ponunt.

VITUPERIUM. Deformitas nemini non dedecori est. In turpi corpore habitat turpis animus. Talis Thersites apud Homerum. Quale domicilium, talis hospes. Speciatim autem depingantur nævi, & turpitudines singulorum membrorum, annexis vitiorum significationibus Physiognomicis. Econtra si corpus est pulcrum, idem est, quasi strumam dibapho tegeres, idest, animam scelleratam eleganti corpore. Talia fuerunt templa Ægyptiorum, foris inaurata & speciosa; intus pro DEO, hircum aut felem colentia.

III. AB INDOLE ANIMI.

Sub hac comprænduntur.

1. MORES, INGENIUM, INDUSTRIA.

LAUS. Sunt hæ decoræ dotes naturæ & animæ. Moribus elegantibus demeretur quis favorem omnium. Ingenium excellens in homine est, quod candelabrum aureum, & lucida Lampas in conclavi.

In-

Ingenio vivam, cætera mortis erunt.

VITUPERIUM. Ingenium bonum abusu corrumpitur: Vinum ad vomitum haustum plus obest, quam prodest. Sic nec ingenium bonum in homine malitioso. Ingenium econtra pravũ satis seipsum criminatur. Idem de moribus judicandum.

2. ERUDITIO. Rerum peritia laudanda si bene collocata.

Sin minus, abusus eam obscurat, aut prorsus contemptibilem facit.

3. VIRTUTES MORALES.

LAUS. Sigillatim quæq; virtus laudibus efferenda.

VITUPERIUM. Virtutes extenuandæ, vitia præponderare ostendantur.

IV. A CIRCUMSTANTIIS.

Per circumstantias intelligo.

1. RES GESTAS. Quid egerit natus per trium ætatum decursum; In pueritia, ætate virili, senectute. Huc pertinent Scripta, peregrinatio &c.

2. VITÆ CONDITIONEM. Talis est professio, Artificium, divitiæ, paupertas, Matrimonium, conjuges, liberi. Omnia prosequenda laude, si digna: Vituperio, si indigna.

V. A FINE.

Eò spectant.

1. VITÆ EXITUS. Morbus, mors.
2. RELICTA. Desiderium, testamentum, fama bona, aut mala.

Exemplum.

Encomium DIOGENIS juxta præscriptos Fontes.

1. Patria. *Patria Diogenis (ut hinc initium sumat mea Oratio) Sinope fuit, Romanis olim dicta Sinuessa, sita in Paphlagonia, provincia Asiæ minoris, in qua Græcia. Urbs situ commodo, rerum affluentia dives. Gymnasio etiam olim clara & apud scriptores apprimè commendata, ob proventum terræ Synopicæ, quod rubricæ quoddam genus est. Cicero Orat: pro Anton: indicavit in Sinope Mithridatis olim Regis palatium fuisse, omnifariis rebus ornatissimum, refertissimumq. Eam ob causam Poetæ appellarunt Synopen Magnam. Valer: in Argonaut: Opimam: Assyrios complexa sinus stat Opima Sinopis. Hæc igitur Synopis, Diogenem prodeuntem in luminis hujus auras primulum excepit, & ad juvenilem usq. ætatem fovit. Si gloriari potuit Socrates, quod Athenis esset Oriundus, haut minori jure Diogeni laudi vertetur, quod fuerit Sinopæus.*

2. Familia. *A genere suo laudem non opus est,*

ut

ut Diogenes emendicet. Satis ipse sua virtute celebris. Cum alijs multis, magnifica prosapia oriundis, genus suum finitum est. Diogenes prosapiæ suæ Originem & nomen primus dedit.

3. Parentes. Pater illi fuit Iræsius Trapezita, vir quidem plebeius, nummorum permutatione, & e locatione victum quærens; sed tamen honestus pro sortis suæ conditione. Ab humili hac Origine, assurrexit Diogenes ad summum celebritatis fastigium, imitatus hederas, quarum radix humi hæret, cacumen fastigia ædium pererrat, & circumplectitur. Fuerunt parentes philosophi nostri, homines de infimo genere & subsellio. Quid tum? Omnes mortales æquali sorte nascimur. Distinguimur verò solâ virtute. Pulcrius est fieri, quàm nasci nobilem. Ipsicrates cuidam obijcienti obscuritatem parentum & familiæ, meum, inquit, genus à me incipit; Tuum in te desinit. Desideratis Exempla eorum, qui ab infimo & humili loco conscenderunt, ad summum culmen nobilitatis? sexcenta vobis dare, si ocium esset, possem. Sed satius proficisci ad alia.

4. Educatio. Pater quidem Iresius filium suum juvenem adhuc, in suam artem erudire, & faciundæ rei nummariæ destinare constituerat: sed indoles illi nata ad altiora, spreto plebejo isto vitæ genere, studio sapientiæ se mancipare gestiebat, in quod tanto ardore ferebatur, ut cum Philosophum Anthistenem primitus accederet, discendæ Philosophiæ gratia,

tia, & ille baculo eum abigere tentaret, Diogenes extento porrectoq; capite, Feri(dixerit) Non me abiges, quamdiu eruditior abs te reddi potero. O incredibilem discendi cupiditatem!

2. Ab affectibus Corporis.

Cæterum si corporis constitutionem in Diogene spectemus, fruitus ille fuit toto vitæ decursu, valetudine robustissimâ, quod donum Naturæ in magna parte felicitatis ponendum. Hoc robur corporis seu ut magis confirmaret, seu ut ostenderet, solitus fuit media æstate, per ferventissimas arenas, nudum se volutare. Hyeme verò nudatis pedibus, cæteroq; corpore per nives ambulare: statuas gelu rigentes amplecti.

2. Conformatio. Deforma & specie Diogenis nihil habeo vobis dicere, nihil de ea annotatum invenio apud scriptores. Neq; hæc res prolixo elogio opus habet. Mulierciularum potius quam virorum propria est hæc laus.

3. Ab Indole Animi.

1. Mores, Ingenium. Satius fuerit animi dotes contemplari, quibus tantum concives suos, & Philosophos coætaneos præcelluit, quantum lentæ solent inter Viburna Cupressi. Principio severitate gravitateq;, Naturæ quodam instinctu, fuit admirabilis. Unde & vitia liberè carpsit, absq; omni personarum

narum discrimine. Atq; eo merito illum Canem populus appellavit, quod nomen nec ipse aversatus est, sed exinde sectam suam dixit Cynicam quasi Canino ritu omnes à bona mente aversos allatrantem. Grammaticos accusabat, quòd, cùm Vlyssis mala inquirerent, sua ignorarent. Musicos vocabat insus, quòd Lyræ chordas congruè aptarent, animi mores haberent inconcinnos. Mathematicos carpebat, quòd Sydera intuerentur, quæ ante pedes essent negligerent, & nescirent. Oratores, quòd studerent justa dicere, non facere. Stomachabatur adversus eos, qui pro bona valetudine sacra facerent, inter sacrificandum autem, contra sanitatem cænarent.

2. Eruditio. Hanc morum integritatem, comitabatur pari passu pectus, sapientiæ possessione instructissimum, cujus præcepta ille non prolixis verborum ambagibus & Lenocinijs, sed brevibus nervosisq; sententijs inclusa, discipulis suis proponebat, quas & illi, & poetæ, & viri eruditi alij, memoriter solebant & Publicè recitare. Eruditionis studium ita commendabile faciebat suis, ut diceret, id esse juvenibus subsidium, senibus solatium, pauperibus divitias, divitibus ornamentum. Tam mirabilis in eo persuadendi vis, ut quemlibet Oratione suâ quò vellet flecteret, duceretq;. Tanta suavitas sermonis, ut nemo ab illo, nisi cum admiratione recederet. Tam pertinax sapientiæ amor, ut etiam in sene & morti vicino non fuerit extinctus. Monitus enim à quodam,

ut jam tandem Capularis à philosophando desisteret, respondit, si in Circo aut stadio decurrerem, suadere-ne abstinendum mihi, cùm jam ferè ad metam perveniissem?

3 Virtutes Morales. *Tàm verò enixim Commendatam sibi habuit temperantiam, ut dubitem, an in universo priscorum philosophorum cœtu, quisquã fuerit, cum illo hac in parte componendus. Luxus, Voluptatum, & deliciarum abstinentißimus fuit. Contentus victu aspero tenuiq; Caseus durus, & panis, fercula illi erant, & prima & ultima: potus, haustus aquæ, è profluente petitæ. Suppellex domestica, præter figulinam unam pateram, baculum & pallium, nulla. Pro palatio, dolio utebatur, quod erat jure & perpetuum illius habitaculum. Sed ne quidem unius istius vasculi se indigentem putavit. Videns enim puerum bibiturum, manibus aquam haurire, abjecit Vasculum, à Naturâ, ajens, se vivâ pâterâ donatum. Divitias, honores, auram & applausum popularem, nihili fecit, involvens se palliolo, & sorte sua. Aliquando Alexander M. fama ejus motus, cum misisset accersitum Diogenem, hic verò philosophiæ intentus, venire distulisset, Rex ipse in Cranium se contulit, ubi in dolio suo delitescebat Diogenes, hominemq; propiùs accedens, interrogavit, ecquâ re indigeret, ut audacter quidquid vellet peteret. Ibi Diogenes neq; aurum flagitavit, neq; honores, neq; aliud quid, in quo cæteri mortales curas*

suas,

suas, & felicitatem ponunt, sed ait, Indigeo, O Rex, Lumine solis, quod tu Objectu corporis tui mihi intercludis. Apage igitur sis, secede extra solem, neq; umbra tua pergito mihi esse molestus. Alexander ad hanc magnanimitatem obstupescens, & ad comites suos conversus exclamavit. Nisi Alexander essem, non renuerem esse Diogenes. Tanti illum æstimavit.

4. A Circumstantijs.

1. Res gestæ. *Fortuna illi in vitæ curriculo varia fuit, & maximam partem adversa, quod sapientiæ possessoribus, non admodum est insolens, quos meretricula illa intestino semper odio habere solet. Diogenes noster profari palam solebat, Imprecationes sibi Tragicas omnes obtigisse, quod esset sine domo, sine civitate, privatus patriâ, pauper, erro, Vitam indies stipem petendo sustentans. Sed hanc sortem suam sequiorem, masculo semper animo toleravit, & ut verbo dicam, Philosophicè. Enimvero interrogatus, quid esset ex philosophia lucratus? ut fortunam, inquit, quamlibet æqua mente ferre possim. Dixit etiam fortunæ se objicere confidentiam: Legibus Naturam; perturbationibus rationem. Quam crebris convitijs impetitus; quam acerbis verberibus sæpe publicè exceptus fuerit, nimis abuterer vestra patientia, si prolixo sermone recensere annitererer: ad quos ille insultus non magis commotus, quam ad surdos*

æquoris fluctus, olim Marpesiæ cautes. Nihil dicam de exilio, quo illum immerentem mulctarunt populares. Quod cum quidam ei exprobrasset, Sinopei, inquiens, te exilio condemnarunt, nihil regessit aliud præterquam, At ego eos iterum damno mansione, ne urbem suam relinquant. Prætereo etiam silentio, quod peregrinantem illum captivum abduxerint prædones, abs quibus & publicè venum expositus est. Emptori, quærenti quid boni didicisset; respondit, scire se viris imperare. Prohibitus etiam in hac auctione humi desidere, nō iniquè tulit, sed seipsum consolatus, Quin, inquit, etiam pisces emuntur, quomodolibet jaceant.

2. Vitæ Conditio. Ex his, quæ hactenus edisserui, intelligere vos arbitror, qualem sectatus fuerit vitæ conditionem Diogenes, scilicet & primus auctor & professor fuit Philosophiæ Cynicæ, cujus hoc fuit fundamentum, & quasi anima, Animum instructum ornatumq; reddere sapientia ac virtute. Corporis fortunæq; munera habere pro oneribus, pro nequitiæ velamentis. Huic suæ possessioni, ut eò melius vacaret, & se consecraret penitus, à Conjugio prorsus abstinuit.

5. A Fine.

Hoc pacto vitæ suæ curriculum & fabulam peregit, assequutus vivendo annum nonagesimum. Mortem, quæ omnibus hominibus terribilis accidit, Diogenes

nes contempsit. Quam cum se ei illaturum Perdiccas minitatus esset, derisit Diogenes hominem, &, Rem scilicet magnam, ait, præstiteris, cum & phalangium, exile animalculum idem possit. Mortem ei intulit, non ullius morbi violentia, sed Cupiditas emigrandi è vita hac ad alteram fœliciorem, cujus promulsidem illi degustandam philosopia exhibuerat. Itaq; Satur vitæ & dierum, palliolo suo caput obvolvens, spirituq; retento, sponte exhalavit, depositoq; animam. Familiares ejus, ex more eum adeuntes, & pallio circumvolutum conspicientes, non quidem dormire eum putarunt (erat quippe minimè Somnolentus) sed profundis speculationibus immersum. Proinde revelato pallio animadverterunt illum è vita migrasse. Quanquam verò etiam vivus de sepultura sibi procurandâ, ab auditoribus fuerit monitus (videbant quippe ei non esse quo honestè sepeliri posset:) contempsit etiam has mundi solemnitates, conjunctas sæpe cum superstitione & vanitate. Havetis scire, quæ sibi funeralia? quod sepulcrum post obitum dari jusserit? Non augustam aliquam Cryptam, sed patentissimum hunc Mundi campum. Sancivit Testamento, ut cadaver suum insepultum, in aprico agro relinqueretur: ita pulcherrimam sepulturam consecuturum â duabus preciosissimis rebus, Sole & Tempore. Discipulis reponentibus: Forsan illum escam futurum Corvis, canibus aliisq; bestijs. Ergo (inquit ille) Imponite mihi

mihi baculum in manus, quo istas abigam. Atqui vitâ functus nihil senties, ajunt illi: Quid ergo (conclusit Diogenes) mihi curatio est, â volucribus devorer an â serpentibus? Verùm tanti viri virtus merebatur Iusta honoratiora, quæ etiam solenniter consequutus est, curante senatu populoq; Corinthiensi, apud quos in Cranio & vixerat, & professus fuerat suam artem. Hi non solùm eum splendidâ sepulturâ donarunt, sed & sepulchrum illius ornarunt columnâ, superposito cane, ex purissimo marmore Pario. Postmodum & cives ejus Synopæi æreis illum statuis honorârunt, cum Epitaphio æterna memoria digno, quod tale fuit.

Γηράσκει καὶ χάλκος, ὑπὸ χρόνου: ἀλλὰ σὸν οὔτι
κῆδος, ὁ πᾶς αἰὼν Διόγενες καθαλεῖ.
Μοῦνος ἐπεὶ βιότας αὐτάρκεα δόξαι ἐδείξας
θνητοῖς, καὶ ζωῆς οἶμον ἐλαφροτάτον.

Id est.

Æra quidem absumit tempus: Sed tempore nullo
Interitura tua est gloria Diogenes.
Quandoquidem ad vitam miseris mortalibus æquam
Monstrata est facilis, te duce, & ampla via.

Monumenta litteraria plurima Diogenes reliquit posteritati, quorum aliquot decades enumerat Laertius, sed eorum pauca pervenerunt ad nostras manus.

Re-

Reprehensio Diogenis, juxta præscriptos fontes.

I. A Primordijs.

1. Patria. *In primam aciem sisto vobis Patriam Diogenis Synopen, celebratam quidem Regis Mithridatis κειμηλίοις, quæ ibi fuere asservata. Sed hæc neminem vel bonum faciunt vel eruditum. Etiam Athenæ atticæ, illæ promæ condæ omnis humanæ Sapientiæ, omniumq; scientiarum produxerunt stultissimum Meletidem. Roma caput Mundi, Mundo quot dedit Carcinomata? Etiam in ipso flore & felicitatis apice posita? Neronem, Caligulam, Heliogabalum, & horum simtles alios? Qui bonus est, ei neq; dedecus affert ignobilis Patria, neq; qui perversus, laudem, Urbs Clarissima. Diogenem ne vitiosus foret, patria certè impedire, aut avertere non valuit.*

2. Familia. *Progenitores verò tàm scilicet claros habuit, ut nemo dignos judicârit, quorum saltem nomina conijceret in Chartam. Commendatur Pol. quòd generi suo Originem dederit, & Celebritatem famæ. Nimirum æquè feliciter, æquè honorificè, atq; Herostratus, accenso Dianæ Templo per scelus exsacrandum famæ perpetuitatem consecutus.*

3. Parentes. *De parentibus ejus quid dicam? Patrem nomine Iresium, Trapezitam fuisse, apud Sy-*

nopæos

nopæos, atq; ibi monetam adulterasse, historici omnes uno ore testantur. Eo nomine etiam cum infamia ex Urbe, profligatus, & æterno exilio damnatus fuit, publico senatus decreto.

4. Educatio. Κακῆς κόρακος κακὸν ὠόν. Patris vestigia strenuò pressit filius, & hoc impostura genus, non solum juvenculus, sed & adultior, per multos annos, monetas corrumpendo, pecuniam adulterando exercuit, donec tandem & ipse eandem exilij pœnam subire ac perpeti fuerit coactus. Natalitium illi & ingenitum hoc scelus fuit, tantò turpius, tantò difficilius exstirpatu, quantò altioribus radicibus sanguini & medullæ infixum. Quæ à parentibus hausimus, cum lacte materno suximus, ea vel nunquam, vel certè ægerrimè abdicamus. Horat:

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu.

Iuven: Ad mores Natura recurrit damnatos, fixa & mutari nescia. Fur unius civis bona harpagans eâ causa publico jure damnatur capitis, & abducitur ad Scalas Hemonias, ἐς κόρακας. Impostor unum alterumve emptorem defraudans infamis censetur. Diogenes tantò major fur, tantò nequior Impostor, quantò scelera Publica, in Universum populum & Remp: redundantia graviora sunt, & tetriora privatis. Ab his primordijs, si Dijs placet, assur-

assurrexit Diogenes, ad tantam celebritatem famæ. Aude aliquid brevibus Gyaris, & carcere dignum. Inunc & per infamia facinora gradum tibi sterne, ad famæ æternùm duraturæ indeptionem.

2. Ab Affectibus Corporis.

1. Valetudo. *Polluit, fateor, Diogenes Vegeto membrorum robore & sanitate validâ. Sed hoc ipso neq; Virtusior fuit, neq; sapientior. Hoc casu taurus, aut asinus cum illo certare, velut cum Hercule Bubulcus Titormus, & multis parasangis superare valuisset. Philosophi dos non in corporis viribus sed pectoris excellentibus bonis, & Ingenij ornamentis constitit. Agricolam, aut Lanionem, aut fossorem quendam commendaturus, idem produceret in Medium. Democritus interrogatus, in quibus consisteret nobilitas? Respondit, Pecudum quidem excellentia in valido corporis habitu, hominum autem in bonitate morum sita est.*

2. Conformatio. *Mehercules si ex Conformatione partium Corporis conjecturam faciunt Physiognomi, qualis intus abscondita sit mens, intelligetis etiam me tacente, quàm præcellens, quàm humanum ingenium habitaverit in tam terrico, tam severo, tam torvo, quadrato, ac insubido capite.*

3. Ab Indole Animi.

1. Mores: Ingenium. *Mores si spectetis, nimis*

mis quàm morosum fuisse nihil minùs quàm bene mo-
ratum deprehendetis. Vidistis aliquando hominem,
omnium obviorum alloquium impudenter captan-
tem; quosvis irridentem, & allatrantem, nullâ re-
verentiæ & dignitatis habitâ ratione, qualem ho-
minem Vulgo Scurram appellamus? hunc si oculis ali-
quando usurpastis, credite vos ipsummet vidisse Dio-
genem. Testimonia neq; plura neq; è longinquo hu-
accersam. E multis paucula saltem delibabo. Ale-
xandro illi magno, totius propemodum Orbis Monar-
chæ, demittendi se infra suam sortem; & Diogenem
in Cranio jacentem corpore extenso in dolio accedenti,
jubentiq; ut quidquid optaret, peteret, quem
ille exhibuit honorem? quomodo illi & comitatui ejus
assurexit? Sus in sterquilinio cubans, ad tam fre-
quentem hominum accessum loco se movisset. Iste
Epicuri de grege porcus, tantum abfuit ut sese at-
tolleret humo, ad præsentiam tanti Herois & tot
Procerum, ut etiam ad modum Ebrij Rustici, aut ho-
minis omnino à ratione exorbitantis, Alexandrum
hac voce invaserit: Apage sis Rex; ab ostio Habitacu-
li mei secede: Solnenim lumen umbrâ tuâ mihi præ-
ripis. Alexander arbitrans, ignotum se venisse
fortè homini. Ego, inquit, sum Alexander ille
Rex. Regessit pecus illud: Et ego sum Diogenes ille
canis. Rex visâ hominis scurrilitate, discessit, non
magis animo motus, quàm si eum canis vetus alla-
trasset. Quid vobis placet, auditores, celeberrimi

hujus

hujus philosophi, urbanitas, affabilitas, humilitas, Φιλανθρωπία? Hominem ab humanitate appellatum noviſtis, abs qua cùm Cynicus hic alieniſſimum ſe ſciret eſſe, adactus propriæ conſcientiæ tortura, Hominis ſe nomine indignum eſſe æſtimavit, Canisq; quàm homo appellari maluit. Audite amabo, alia morum & civilitatis illius ornamenta ac unciones. Vulgo dici ſolet: Noſcitur ex ſocio, qui non cognoſcitur ex ſe. Diogenes non admiſit in ſuam diſciplinam juvenes alios, quàm qui ſine tunicâ, ſine calceis irent: qui in Publico inter eundum ſe induerent, pecterent, ventrem exonerarent, qui peram ipſi portarent, foris intusq; benè oblitam. Quod cùm honeſtiores animi facere recuſarent, & proinde ejus fugerent converſationem, & baculo, & dicteriis eos inſectatus eſt, clamans, meam & tuam amicitiam pera diſſolvit. Invitatus aliquando ad convivium in domum magnificè exſtructam, ſplendidè intus undiquaq; ornatam, & à Domino lautè ac honorificè exceptus, cùm excreare illi foret neceſſitas, impudentiſſimo auſu, ſputi copiam ore collectam, evomuit in faciem & caput Domini ipſius, hanc pro benefactis gratiam illi reponens, & ſi Dijs placet, inſuper ſe excuſans, quod indignioremin Univerſo conclavi locum non videret: quaſi humanum caput, Arx illa Pallados ſacræ, indignius eſſet lateribus & cæmento. Sed numnon illa fuit turpiſſima ſcurrilitas, & inverecundia, quod publicè in foro ambulans comederet? publicè naturæ operæ

perficeret? Laertius jurat, quòd omnia quæ ad Cererem & Venerem attinent, non puditum illum fuerit, in conspectu pleno hominum, in plateis & foro patrare. Hoc facto, ita me Dij benè ament, turpior, nequior, impudentior, brutis animantibus, quarum plæræq; nocturnis tenebris, & silentio, eas res peragunt. Quin Cynicus noster, in ipso facto deprehensus & objurgatus, id nihili fecit, sed potius derisit monitores; Concumbens aliquando in foro, spectante universâ hominum multitudine, quæsit9 quid ibi ageret? σπερματίζω, ἔφη, ἀνθρώπους. Imò quod omnis turpitudinis epitome est & summa, professus est palàm, Matrimonium esse stultitiam, ac nugas meras, Uxores virginesq; debere omnibus esse communes, ijs uti volentibus ad suum prolubium. Ipse Cacodæmon non potuisset nocentius, & impurius venenum exspiraße è sua cloacâ. Sed ita animatus fuit hic vir, ut scelera & abortus ingenij sui, Schemate quodam Probabilitatis obvelaret, quemadm: qui Strumas solent dibapho tegere. Sic enim solebat ratiocinari: Si edere, bibere, re venereâ uti, neq; inhonestum est, neq; malum simpliciter: Ergo neq; in foro eadem facere inhonestum est, aut malum. Merum hoc est sophisma fraus & deceptio, fallens Elencho dicti secundum quid, ad dictum simpliciter.

Breviter; Diogenes omnibus hominibus adversus & contrarius fuit: Quâ alij porta in Theatrum intrarent, ille exibat; qua exibant, ille ingrediebatur.

Cum

Tàm alij unguentis inungerent Capita, ille pedes, Dixitq; hanc suam esse professionem, adversari omnibus quæ faciunt homines alij, humanitatis leges observantes.

2. Eruditio. Porro Eruditione & sapientia instructum ullâ fuisse Diogenem, ego vehementer dubito, & ægre mihi patior consuaderi, considerans apud animum meum, mores illius spurcissimos, & prorsus agrestes. Didicisse fideliter artes, emollit mores, nec sinit esse feros. Itaq; ex adverso, ubi mores feroces & intractabiles, ibi eruditionis inopia & vacuitas. Boni & laudabiles mores sequuntur pectus bonis literis & sapientia instructum, sicuti umbra corpus, fumus ignem. Ubi corpus, ibi umbra. Fumus item igni proximus. Si Philosophia genitrix est honestorum morum, Si Aristoteles non est mentitus, scribens, nullum esse intractabilius animal homine, nisi doctrinâ cœuretur; Certè Doctrina in Diogene nulla fuit, quem intelleximus fuisse tam intractabilem, tam indomitis moribus. Aristippus interrogatus, quid esset inter doctos & indoctos discrimen? Quod, inquit, inter equum domitum & indomitum. Auditis ex Aristippi etiam sententia, Diogenem fuisse indoctum; Idem Aristippus dicere solebat, satius esse fieri mendicum quàm indoctum; quia ille pecunijs egeret, hic humanitate. Diogenes uterq; fuit, & mendicus, & indoctus: Itaq; & pecunijs caruit, & humanitate. Principes Philosopho-

tum profeßi fuere uno ore, hoc inprimis eximium possidere philosophiam, quòd spectatores ejus, etiamsi omnes leges abolerentur, tamen æqualiter, & secundum virtutes viverent, quod cùm non fecerit Diogenes, Philosophum etiam non fuisse, id est nulla solida eruditione tinctum, luce meridiana clarius est. Addam & hoc: philosophiæ quatuor constituuntur Particulæ: Metaphysica, Physica, Mathesis, Ethica. Ethices (ut â posteriori incipiam) non possessorem aut amatorem, sed osorem Diogenem fuisse ex antedictis liquet: Mathesin Ludibrio & risui semper habuit, & ab illius cognitione, tum ipse alienus, tum à seriò dehortatus fuit discipulos: (ignoti scilicet nulla cupido) Reliquas duas quòd excoluerit, aut didicerit, neq; ex scriptis ejus (quæ nulla sunt) neq; ex historijs aut testimonio ullius scriptoris constat. Certè quod Universales rerum Naturas, Entia q; â Materia separata (quibus illæ magnam partem occupantur,) ne quidem intelligere potuerit, videre est exinde: Quòd cum Plato disereret de abstractis, g. e. de mensitate, quidditate &c. Diogenes exclamavit; mensam, & hoc ipsum quid, video: at mensitatem, quidditatem non video: Castigavit illum Plato. Et rectè, inquit; Nam quibus mensa, Cyathus & aliud τόδε τι constituitur, oculos habes; quo a. mensitas, & quidditates intelliguntur, animum non habes. Quo jure igitur, aut quo merito, inter sapientes, inter philo-

sophos

sophos numerare eum dignaremur? Illumne tu sapientem dixeris, & recta utentem ratione, qui æstate in ferventissimis arenis se volutat? & nudus hyeme mediâ per nives, Phrenetici instar discurrit? statuásq; rigentes complectitur? Illumne tu prudentem vocaris, qui medio Meridie accensa lucerna, in medio cœtu hominum, homines quærit? qui semitonso capite irrepit in convivia parasitandi gratia? atq; ibi interdum benè vapulat? Hæc sunt non viri sapientis, sed fatui Insani, ab omni bona mente aversi, operæ.

3. Virtutes Morales. Talis cùm fuerit Cynicus noster, nemo miretur eum à virtutibus adeo alienum, adeo vitiorum scatentem fuisse: quæ si ordine dicendo proferre cogitarem, citius mihi verba quàm argumentum deficerent. Pauca saltem delibabo, & sequar summa vestigia rerum. Philosophi alij humilitati & modestiæ sedulò studuerunt. Diogenes superbiâ, fastu, etiam in abjectissima illa fortuna tumentissimus fuit. Platonem neutiquam poterat ferre: cujus aliquando stratum præsentibus Regis Dionysij aulicis, pedibus calcavit, ajens, Conculco Platonis inane studium. Sed Plato eum acutè iterum tetigit, O Diogenes, inquiens, quanto fastu tumes, dum superbiam te calcare putas. Alio tempore stabat perfusus aquis, toto stillans corpore, seseq; ostentabat populo captandæ laudis gratia, quasi esset patientissimus: Hu verò, qui illum circumstabant, commiserantibus, dixit Plato, si vultis illum misere-

vi, abite: significans stultam gloriæ in eo cupiditatem. Continentia etiam & temperantia, virtutes sunt quæ sapientem vel maximè decent, & ornant. Diogenes incontinentissimus, intemperantissimus fuit, in Cibo, in potu, in Re Venerea, in Verbis & factis, adeoq; tota vitâ. In cibo, quia non solum tanquam Parasitus sectatus est convivia & popinas, sed etiam quia humanis carnibus in victu non esse abstinendum docuit, sed æquè licere, æquè salubre esse ijs vesci, quam carnibus pecudum; quoniam in istis omnia continerentur, quibus pasci & saturari homo consuevit: Deum Immortalem quanto intervallo dissidens à sapientissimo Pythagora! qui apud Ovid. l. 15. Metam: operosissimè dehortatur homines à pecudum etiam Lanienâ, & esu, ne in viscera viscera condant. Quis nisi extremè barbarus, belluinus & hominem prorsus exutus, ἀνθρωπὸν φαγὸς unquam fuit, aut esse sustineat? Incontinentiam ejus in potu id inter alia arguit, quod perquam libenter & avidè sese replerit flore veteris vetusti. Interrogatus quodnam Vinum libentius biberet? Respondit, alienum: id scilicet nihilo illi constabat; & ad vomitum usq; ingurgitare licebat. De Intemperantia Rei Venereæ, pudet me coràm, honestis auribus illa narrando obijcere, quæ ipsum non puditum fuit facere. Philosophi alij pietati addicti, divini cultus studiosi fuerunt. Noster ille, quod fere horresco referens, neq; DEOS, neq; delubra sacra DEORUM

RUM pluris fecit quam latrinam quandam: Quin sacrilegium omnibus liberum esse, & ex sacris templis auferre licere quidvis cuivis, publicè professus est. O scelus Viri! O propudium generis humani!

4. A Circumstantijs.

1. Res gestæ. *Res abeo gestæ tam memorabiles sunt, quam quas Marcolphus, aut Ulenspeglius olim perpetrarunt. Jam antè vos certiores feci, illum semitonso capite discurrisse, & se deridendum & verberandum propinasse omnibus. Cum Platonis discipuli sese exercentes in rerum definitionibus, definiviſſent animal bipes, carens plumis, Hominem. Diogenes Gallum Gallinaceum omnibus plumis spoliatum toto corpore glabrum, viventem, clanculum immisit in Academiam Platonis, clamavitq; Ecce hominem Platonicum.*

2. Vitæ Conditio. *Professionem Diogenes suam secutus est peculiarem, quam ipsemet Cynicam, id est Caninam appellavit. Nam velut Canum proprium est, ossa rodere, relicta hominibus carne, sic ipse durum, intractabile, inutile humanæ societati vitæ genus est amplexus. Tum, velut canes neminem non allatrant, ita iste, tanquam alter Momus, carpsit, momordit omnia hominum facta. Sors illius pauperçula & angusta fuit, cumq; potuisset esse dives (oblatis ei ab Alexandro magno muneribus) maluit egenus ac Mendicus vivere; quæ nescio, annon*

fuerit præcipua in illo stultitiæ particula. Divitiæ certè, quanquam sapientiâ multò sint inferiores, bonæ tamen sunt bene utentis: adeoq; ad Naturam tam corporis quàm animi conservandam, & restaurandam faciunt. Absq; his neq; victum, neq; amictum, neq; domicilium, neq; otium, neq; liberos vel possidemus vel acquirimo Hoc modo & bonæ, & utiles, & necessariæ sunt. Quæ a talia, ea ab omnibus intelligentibus appetuntur: reijciuntur à nemine, nisi fatuo, id est Diogenis simili. Is si nolit sanus, currat Hydropicus; si recusavit dives esse, manserit sane inops & turpis mendicabuli sectator: nihil possidens præter peram, baculum, & dolium, quæ illi omnia fuerunt omni loco & tempore. Atq; hâc ratione validus hic mendicus stipem petendo ostiatim, ociosè se pasci velut porcus curavit, alienum cibum muris instar arrodens. Qui illi largiter dabant, his abblandiebatur, vi cogens naturæ austeritatem; qui denegabant, hos allatrabat, mordebat q;, eamq; ob causam se sibi canis nomen impositum referebat. A Communi Plebecula obulum petens; prodigum aliquando popposcit Minam integram. Quæsitus causam: respondit, quia ab istis (vulgus putabat) iterum me accepturum spero; ab hoc nunquam.

Ob turpe & aspernabile hoc vitæ genus, Diogenes, ab omnibus contemptus, & derisui habitus, à nemine honore ullo affectus, à plurimis verberibus sæpe strenuè dedolatus est. Quod cùm & Midas quandoq;

dos̄ fecisset in publico, impacta illi acri alapâ, id pati coactus, nihil regessit aliud quàm: Si hoc præscissem, galeâ munivissem caput. Alij eum lotio & aquâ perfuderunt. Erant & qui illi confringebant, in quo habitabat, dolium. Comedentem in Publico acclamabant, circumstantes: Canis, Canis: quibus ille: Imò vos potius canes, qui me prandentem sectamini. Deniq; & captus, & tanquam Mancipium Venditus est. Quis omnia scommata & injurias fando enumeret, quas ipse jugo sibi suo, id est, vitæ scurrili accersivit? Fortassis hinc ita invisus factus concivibus suis ut nemo illi filiam in conjugium dare; nemo fœmina illi nubere dignata fuerit. Itaq; mortuus est ἄγαμος, ἄπαις, ἄυιος, ἄπολις.

5. A Fine.

1. Vitæ Exitus. Mortuus inquam est, interitu violento, siquidem & vitam violentam duxerat; Seu â Comesto crudo bubulo pede, fauces illi fuere, animaq; ipsa præclusa: seu dum inter canes polypum distribuit, ab ijsdem dilaceratus: seu quod adhuc inhonestius, ipse αὐτόχειρ retento spiritu sese de vita præcipitavit. Quâcunq; interijt ratione, turpem vitam, turpis mors excepit, & insequuta est. Sepultura illi ut meritus erat, atq; ut ipse optârat, contigit. Conscius sibi vitæ anteactæ, jubebat

bat discipulos suos, ut se abijcerent insepultum, & obijcerent Corvis, vulturibus, lupis: Sed quemadm: Moriones, qui se sciverunt facere ridiculos, Principes solent pomposis exequijs prosequi: Alexander etiam M. equum suum solenniter sepelivit, donavitq; precioso monumento: haut secus & sepulturæ aliquis honos, & statuæ dedicatio consecrata fuit Diogeni: addito etiam Epigrammate, in quo illi non Campos Elysios, Virorum sapientum, & de humana societate bene meritorum sedem, sed infernum, & terribiles Plutonis ædes, ut dignam stationem, aßignârunt: Epigramma tale est.

Διόγενες άγε, λέγε, τις ἔλαβέσε μόρος
Ες Αιδος; ἔλαβέ μεκυνός ἄγριον ὀδάξ.

Diogenes, age, loquere, quis exitus te abstulit
Ad Inferos? Resp: Abstulit me canis morsus ferox.

2. Relicta: *Dicitur quidem opera quædam scripta post se reliquisse: Sed (teste Laertio) Socrates, & Satyrus in scriptis suis, nihil eorum esse Diogenis affirmant, nihil etiam ad nostra tempora asservatum fuit.*

II. BRUTA LAUDANDI, AUT ECONTRA VITUPERANDI RATIO.

I. A PRIMORDIIS.

1. LOCUS NATALIS. Provinciæ aliæ

liæ generosiora, aliæ minus generosa animalia producunt.

LAUS. Ita Teste Virgilio, Epirus generosissimos fert equos, ut & Hungaria, Austria: Frisia boves; Berga Norvvegiæ Gallinas; Hispania & Anglia oves; idq; partim obpascua (Hispanicæ pecudes Thymo, & rore marino in agris pascuntur, ut apud nos erica & gramine; unde eorum carnes sapidissimæ, redolentes Thymum; sicut fragrantia mella; Lana a, lanarum omnium pretiosissima.) partim peculiari cœli aërisq; favore.

VITUPERIUM. Bruta locis sylvestribus nata aut educata, fera sunt; exiguo usui homini, cum circurari non possint. Vel si in cibum petuntur, exinde magno vitæ periculo, (ut apri:) Vel aliàs homini nocua, ut Leones, ursi. &c,

2. ORIGO.

LAUS. Ex fortibus & generosis animalibus nascuntur fortes: Est in juvencis, est in equis patrum virtus, nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam. Hæc Eximia laus est. Felicior est multorum animalium origo quam hominis. Pulli avium in nitidissimis ovorum corticibus, bombyces intra virginum ubera excluduntur; & prote-

nus

nus lucem cernentes currunt; escam suam agnoscunt, sumunt. Homo intra stercus & Vrnam nascitur &c.

VITUPERIUM. Culpari animalia possunt si nascuntur origine impura, præcipiti. Vitio vertitur Canibus, felibus, quòd nascuntur cæci. Ursis, vitulis, quòd tanquam massæ informes. Sus Catulos, & multos uno partu, & nimis celeriter gignit.

3. INVENTORES, CULTORES.

LAUS. Poëtæ commendaturi animalia, finxerunt amatores eorum fuisse DEOS, ut Jovem aquilæ. Junonem Pavonis. Venerem columbæ. Fuerunt & Heroes admiratores animalium; ut Alexander Bucephali sui. Hæc omnia faciunt ad commendationem.

VITUPERIUM. Turpes & vitiosi amatores, etam dedecus afflant rebus amatis. Silenus & Bacchus Patroni ebriosorum, asinum mirè amârunt. Cerberus DEUS Infernalis Canem: Turpissimus & sceleratus Thereus, in Upupam fuit conversus: Lycaon in Lupum.

4. EDUCATIO, NUTRIMENTUM.

LAUS. Felicitas est animalium, quòd materno lacte aut ductu educentur. Homo

á ma-

à matris uberibꝰ sæpe abstrahitur, trahiturque nutricibus impurissimis educandus. Nutrimentum Brutorum, non aliud quàm quod Naturæ conveniens; ubi homo sæpe ingurgitat, quæ illi vitam acerbam faciunt: multos morbos, multa fercula pepererunt. Bruta natura sua ducta, nihil hinc sibi metuunt.

VITUPERIUM. Bruta adolescunt Ventri soli dedita, quod & miseria, & dedecus est; Jam à prima ætate multijugis laboribus torquentur. Plurimorum vitia quoq; sese in vix natis ostendunt, ut Lupis, vulturibus.

II. AB AFFECTIBUS CORPORIS.

1. CONFORMATIO.

LAUS. In Brutis plærumq; nativa Pulcritudo, non adscitiria. Pellis ac Pilorum splendor, color, varietas. Pennarum in volucribus, admirabilis pictura & elegantia.

Cræsus, cum Regio vestitu indutus, Solonem interrogaret; Ecquid unquam vidisset pulcrius? Audire coactus est hanc vocem: Gallus (ait Solon) Gallinaceus, multò te pulchrior, nativo decore superans adscititias

& à

& à brutis emendicatas illas tuas offutias.

In minutissimis etiam vermiculis, pulcritudo Arist: lib: Gen: an: Natura nuspiam magis tota, quam in minimis.

VITUPERIUM. Brutorum omnium forma turpis, misera. quia prona spectant terram, os homini sublime datum; In specie, turpes in corpore setæ; spurcities, ut in porcis. In volucribus pedum Turpitudo, quam & pavones ipsi agnoscunt.

2. PARTES CONSTITUTIVÆ ET INTEGRANTES.

LAUS. Bruta haut minus constant anima & corpore, quam homo: Brutis etiam intellectum ascribit Galenus, spectatis admirandis eorum operibus, & inclinatione. Certe Phantasia illis est instar rationis, qua excellunt. Partes corporis integrantes etiam sapienter efformatæ. Multa bruta etiam majorem eorum apparatum habent quam homines. Aves pennas pulcherrimas; boves cornua. &c. Unde Plinius Naturam novercam vocat, quod Bruta donaverit rebus, quas denegavit homini.

VITUPERIUM. Tam Corpus quam Anima brutorum redigitur in Nihilum. Anima

nima perit nec supermanet; quæ miseria est, infelicitas, ignobilitas. Partes corporis integrantes, crassæ, stupidæ.

3. DIFFERENTIÆ ET SPECIES.

LAUS. Varietas in brutis digna est laude, Vix ullum est Differentijs non commendabile, positis in colore, magnitudine, figura. &c.

VITUPERIUM. Quanto plures differentiæ rei illaudabilis, tanto nequior ipsa, & vituperio dignior.

III. AB INDOLE.

1. PROPRIETATES ET USUS.

LAUS. In brutis quædam scintillæ Virtutum, non solum laudem, sed & æmulationem merentur. Sic in Ciconijs gratitudo est, & στοργη. In formicis diligentia; in Canibus fidelitas. Commoda & usus multiplices bruta præstant vitæ humanæ; & olim rebus sacris, ad sacrificia. Hodie tam viva serviunt hominibus ad victum, & ad operas varias, laborando, quam mortua, suppeditando alimenta, vestitum &c.

VITUPERIUM. Damna quæ inferre solent Bruta, reprehensionem merentur. Sic bos

bos cornu ferit: sues molesti sunt spurcitie. Canes mordacitate.

IV. A CIRCUMSTANTIIS.

1. RES GESTÆ.

LAUS. Huc pertinent Historiæ, aut facinora memorabila, de Brutis laudatis, ut de asino Bacchi. De Anseribus defendentibus Capitolium. De Vacca Io: de Jove converso in Cygnum, Aquilam &c. quæ laus est, quòd DEus digna judicaverit hæc, quorum formam assumeret. Viri & mulieres in bruta conversi. Philomela in Lusciniam: Progne in hirundinem.

VITUPERIUM. Narrandæ sunt similes historiæ vergentes in dedecus; aut ita saltem interpretandæ, quasi essent dedecoris plenæ. Ut Iovi servivit forma Tauri ad scortationes, eoq; nomine reprehendi possunt hæc animalia.

2. COMPARATIONES.

LAUS. Bruta non affliguntur tot malis quot homines: tot curis, ærumnis, laboribus. Diutiùs etiam hominibus vivunt; Paucioribus indigent. Conferantur etiam Bruta inter se: Unius sors felicior alterius sorte, ut liquet ex fabula Æsopica Equi & Asini.

VITU-

VITUPERIUM. Collata bruta inter se, alterum altero miserius, turpius. Sus in cæno degens, stercore vescens, equo generoso illaudabilior, &c.

EXEMPLUM DE ENCOMIO LVMBRICORUM

I. A PRIMORDIIS.

I. LOCUS NATALIS. *Lumbricos, animalcula admirabilia, pro meritis laudaturus, in prima acie collocо eorum natalem locum, abs quo si aliquod Encomium redundat in natum, næ lumbricorum sors, magnifica & felix imprimis censenda erit. Quid homine excellentius? Quid terrâ fructuosius, utilius, honoratius? At utrumq; Natura a lumbricis destinavit, pro patria, pro habitaculo. Ventribus hominum, imò cerebro, imò Cordi ingenerari lumbricos, membris in toto homine præstantissimis, testantur libri medicorum. Hæc meritò felicitas eorum, quippini major est quam ipsius hominis, qui saltem in ventre primordia suæ essentiæ duxit, regione corporis infimâ, & cæterarum respectu postremâ. At in Lumbricis, nobilitati prolu, respondet natalis loci sublimitas. Alij Lumbrici in terra producuntur, communi omnium nostrûm genitrice; quippe quam maternæ Veneration is titulo, lubens, meritoq; ornavit sapiens antiquitas; quam sanctam sacratamq; habuit. Etiam hoc nomine Lumbricis infe-*

liciores sunt homines. Hos saltem mortuos tellus excipit tegitq; illos etiam vivos fovet, nutrit, amat, amplectitur, ab omnibus incommodis tuetur.

2. Origo. Cæterum primordia sua Lumbrici debent partim oculo Mundi Soli, partim parentibus suis. Sol & homo generant hominem, ait Arist. Causæ nimirum subordinatæ; iste ut agens remotum universale; hic ut proximum, particulare. At Lumbricorum geminæ sunt & distinctæ Origines. Pater eorum est Sol. Terra mater: Tum Pater eorum est Lumbricus. Mater Lumbrica. Enimvero Sol vivifico suo calore in tellurem agens, Cùm Pater Omnipotens, fœcundis imbribus Æther, Conjugis in gremium latæ descendit, & c. tunc producuntur hæc animalcula generatione æquivocâ; quæ ut semper causam agnoscit nobiliorem, sic ipsa nobilior. Mehercules id privilegium nobis hominibus neutiquam est concessum. Lumbrici eo gloriari possunt. Similis gloria manet illos Lumbricos, quorum intra hominem ortus est. Deinde etiam ex semine, haut secus ac homo, à parentibus generantur Lumbrici. Complexus eorum, quo se arctissimè dimidiati amplectuntur, circa ver, à quolibet observari potest: deprehenduntur q; tum temporis matres, sobolis numerosam copiam in ventribus gestare. Hoc ipso itidem perfectio, & excellentia eorum eluceſcit. Perfectorum enim animalium talis est productio univoca.

3. Cultores. Lumbricorum cultores, conservatores,

tores, custodes, sunt homines omnis status aut sexûs, Reges, principes, Vulgus, mares, fœminæ, adulti, infantes. Nullus inter hos qui Lumbricos intra penetralia corporis sui non quandoq; sustentet, nutriat, secum circumferat, tanquam thesaurum absconditum. Terrenos verò Lumbricos, quàm sollicitè investigant piscatores? amant, curant, colligunt, capsulis recondunt?

4. Educatio. *Quæris quo alimento fruantur?* Lautissimo; carissimo. Ausim dicere nullum animal, ne ipsum quidem hominem, tam pancraticè, epiparè, splendideq; epulari. Etenim qui intra hominem fixerunt domicilia, ijs non solum omnia in alimentum cedunt, quæ homines ipsi in ventrem ingerunt, sed de ipso quoq; homine obsonant. Homò bruta vescitur: Lumbrici ipsius hominis carnibus, & pinguitudine. Illis qui terræ sinu delitescunt, cibus sunt, lactucæ, braßicæ, herbarumq; aliarum sapidissimarum tenella germina; quæ mira solertia ostriis apprehensa admordent, & intra suos cuniculos sub terram pertrahunt. Nimirum fruuntur communi cum hominibus victu.

2. Ab Affectibus Corporis.

1. Conformatio. *Quod ad Conformationem* corporis Lumbricorum attinet, admiratione digna est tam teneri animalculi tam artificiosa compositio. Corpusculum totum ex perpetuis quasi annulis, coaluit, humore vitali, mobili, capacitatem interiorem

occupante. Hos circulos, dum progrediuntur, contrahunt; hunc humorem variè impellunt. Hìc bono jure usurpari potest Arist: illud, Naturam nuspiam magis totam esse, magis suas copias collectas, unitasq; habere, quam in minimis: Et illud Heraclit: Accedite & Introite, nam & hic Dij sunt.

2. Partes. Membrorum externorum diversitatem in Lumbricis non magnopere requirimus: propterea tamen nemo eos defraudabit meritâ laude. Progrediuntur motu spontaneo, seu de loco in locum moventur sine cruribus, sine pedibus, ut cœlum & Sol, & Cœlestis ille Exercitus. Tactu tenerrimo, gustu exquisito, auditu liquidissimo olfactu exacto prædicti Orbi interim manibus, linguâ, auribus, naso. Non loquor falsa: sed quilibet quotidiano Experimento hanc Lumbricorum perfectionem observare potest. Contingat eas post pluviam aliquis plumâ delicatula, protenus se contrahent, & abdent intra alveolos suos. Tam promptè olfaciunt, sapidèq; gustant, ut affuso lacte, aut mulsâ, catervatim accurrant bibiturae: aspersa decocto corticum juglandium, omnes properent è terra fugientes, & aversantes liquorû amaritudinem. De auditu id testari possum, nullum mihi obvenisse animal, tantâ ἀκεραιότητα hujus sensûs donatum. Reptante supra terram Lumbrico, accedas ad eum gressu quamodocunq; placido, suspenso, tacito: nihilominus, cùm conaberis manum extendere, contactâ saltem vicinâ plantâ, imo aëre, adesse te

te sentiet, & incredibili pernicitate, nictu oculi oculus fugiet & se abscondet. Numnon hoc reponendum inter miracula Physica? Certè Lumbricus unicus eludit famosum anatomicorum Axioma, sensationes non dato Organo non posse dari. Si animam ipsam (cujus istæ sunt facultates & functiones) Lumbricorum perpendamus, pluribus illa nacta est dotes perfectionis, quàm Elephantes, Pavones, balenæ, aut ullum aliud brutum, imò homo ipse. Dubitatis hac de re, & supercilium frontemq; contrahitis? Eximam vobis scrupulum Elephanti, Pavoni, Balenæ, abscindite caput: fruſtillatim dividite corpus, artuatim truncate membra, moriuntur subitò, vitaq; cum gemitu fugit indignata sub umbras. Lumbrici ab hujusmodi Laniena sibi parum metuunt; Vivere pergunt, etiamsi medij discindantur. Tam fortem illis vitam DEUS & Natura contribuerunt.

3. Differentiæ & Species. De speciebus Lumbricorum diversis, non sumus solliciti. Duæ hæ æquivalent sexcentis aliorum animalium differentijs. Nimirum Lumbrici alij sunt humani, alij terrestres. Utriq; præclaris virtutibus donati, & Ornati, de quibus jam pauca.

3. Ab Indole.

Proprietates & Usus. Hanc ἀγχίνοιαν natura Lumbricis ingeneravit, ut qui in terra degunt, ij pluvias adventantes præsagiant, & delapsas

egressu suo ex cuniculis testentur, quasi gratulantes plantis & hominibus, de fœcunda irrigatione post siccitatem. Qui intra hominem sunt, illi ægrotanti, & paulò pòst moriturо, obitum in procinctu esse prænunciant, dum relicto corpore prorepunt per os foras, per nares, per aures. Utriq; fatidico Spiritu donati, futura prædicunt & vaticinantur, multò certiùs quàm tota Calendariographorum Prosapia. Usus & commoda, quæ vitæ humanæ præstant, plurima sunt. Ex ijs paratur oleum efficacissimum, ad mitigandos dolores Nephriticos, & pellendos Calculos. Ex ijsdem destillando elicitur aqua, quâ ferrum candens aliquoties submersum, acquirit duritiem, ac Indolem Chalybis generosi. Similiter & Oleum ad secreta plurima usurpatum. Cinis combustorum Lumbricorum, ossa fracta consolidat, Spiculaq; elicit ex Vulneribus. Absq; Lumbricis esset, esurire strenuè oporteret piscatores, quorum hæc est opulentia, gestare

Insutos terrenis Vermibus hamos.

Absq; Lumbricis esset, fame mori cogerentur Talpæ, quorum isti sunt gratæ epulæ. Malè sæpe haberent Gallinæ, turdi, pisces, cornices, Corvi, qui aratorem agros proscindentem, diligenter observant, sequuntur, sulcos perlustrant, & hanc inbiant prædã.

4. A Circumstantijs.

1. Res gestæ. Hís animalculis DEUS sæpe usus legitur, in plectendo humano genere. Autor est

est Carolus Sigonius, olim, post lumbricos, in terra per pestilentiam quandam extinctos, mox Ravennæ extremam annonæ caritatem evenisse, & omnium frugum inopiâ laboratum esse.

2. Comparationes. *Eant nunc ἐλμινθολοιδόροι, Cavillatores & hostes Lumbricorum, debitumq; his honorem & gloriam detrahant: Si æquâ lance & æstimatione Lumbrici cum animalibus cæteris conferantur, Luce meridianâ clariùs liquebit, immensum illos his antecellere, quod dilucidius ob oculos ponerem, nisi brevitatis mihi habenda esset ratio.*

III. STIRPES LAUDANDI, AUT econtra VITUPERANDI ratio.

1. A Primordijs.

1. LOCUS NATALIS. In alijs Regionibus feliciùs, in alijs infeliciùs crescunt plantæ. Huc in genere applicari potest illud Virgilij. *Non omnis fert omnia tellus. Hîc segetes, illic veniunt feliciùs uvæ.*

LAUS. Plantæ cœlo soloq; fœlici satæ ac natæ, splendidissimæ, & fertilissimæ evadunt. In America omnia decuplo Majora, & sapidiora nascuntur quam hic. Cucurbitæ ex hoc orbe illuc translatæ, seminibus satis,

dant fructus tam vastæ magnitudinis, ut ex bipartito scissis cados faciant incolæ &c. sic in vitibus, in uvis, maxima est differentia à Loco Natali.

VITUPERIUM. Locis aridis, uliginosis, frigidis quæ plantæ nascuntur, hoc ipso merentur culpari; quòd degenera loca, nihil nobile producant. Ex terra est nutrimentum: Quale nutrimentum, talis succus, tales vires, talis tota Indoles Plantæ. Igitur Infelix tellus, rarò elegantes, & salubres plantas generat.

2. ORIGO.

LAUS. Et admiratione & honore digna est planta, quæ ex tantulo granulo excrevit in tantam arborem, aut herbam. Ex abjecto semine tam excellens flos. Commendari etiam potest planta, quæ se facilè propagari patitur, per surculorum segmenta. Si difficulter: etiam illud laudabile, juxta illud, χαλεπὰ τὰ καλά.

VITUPERIUM. Omnia hæc invertantur. Ex vili & exili semine nihil magni precij sperari potest. Multæ etiam stirpes, tam lubricam habent Originem, ut odio habeantur, & exstirpari desiderent. Turpe est, Aconitum ex vomitu Cerberi enatum, Nepetam ex urina felium. Quæ sponte nascuntur

scuntur, sine prævio semine, eo ignobiliora. Vilescunt quotidiana, quæ rara ea chara sunt.

3. INVENTORES. CULTORES.

LAUS. Commendantur Plantæ, à suis tum Inventoribus, tum Cultoribus. Nullus ferè DEUS est, qui non suam sibi vendicet Arborem. Apollo Laurum, Venus Myrtum &c. Inventores fuere Lysimachiæ Plantæ Rex Lysimachus. Artemisiæ, Regina Artemisia.

VITUPERIUM. Exigua laus est Plantis, eas natas fingi ex homicidio, adulterio, sicut dicuntur Narcissus, & Hyacinthus, geniti ex cognominibus Juvenibus. Morsus Diaboli, (herba est sic appellata) adeo adamari perhibetur a Dæmone, ut ejus radicem in terra præmordeat. Hæc culpari potius quam laudari merentur.

4. EDUCATIO. NUTRIMENTUM.

LAUS. Plantæ dum succrescunt quam delectabili specie, quam suavi odore pullulant! Ita educantur, ut homines. Eadem contingit illis felicitas, & exinde Laus. Scholæ destinantur novellis arboribus; Flectuntur in figuras varias, quasi ad mores Pueri à præceptoribus. Lædi facillimè teneræ possunt, quæ nota est generositatis. Alimento fruuntur selectissimo: rore cælesti, imbribus æthereis. In specie humoribus perfusi, eorum

naturam assumunt, ut Lanarum albæ varios colores, quæ ipsa quoq; laus est: Nam si homo magni fit, quod sciat se accommodare, & uti foro, quidni & plantis idem laudi vertatur?

VITUPERIUM. Nutrimentum Plantarum est spurcissimum lutum: stercora, aliaq; excrementa, quibus terra perfunditur, quæ postea in succum suum convertunt, ad quorum aspectum aliquis nauseet.

II. AB AFFECTIBUS CORPORIS.

1. CONFORMATIO.

LAUS. In Plantis admirabilis Colorum, figurarum varietas & elegantia, in foliis, floribus, fructibus, caulibus, radicibus &c.

VITUPERIUM. Colores Plantarum etiam pulcherrimi, quamdiu durant? Evanescunt subitò: & vix paucorum dierum ætatem ferunt. Nescio etiam quid pulcritudinis sit in radice, aspectu tetricâ, luridâ? Quid in arborum stipitibus rugosis, muscosis, verminosis? Multæ aculeis suis seipsas odiosas, & infames reddunt. In fructibus quædam sunt turpissimæ figuræ, ut genitalium.

2. PARTES CONSTITUTIVÆ ET INTEGRANTES.

LAUS. Anima plantarum laude & admiratio-

miratione digniſſima eſt, quæ ex aqua limoſa ereſcere, & aſſurgere facit, tam decorum floris corpus. Partes integrantes ſigillatim ſpectate, quælibet ſuam meretur laudem, ſemimina, eorum capſulæ &c.

VITUPERIUM. Anima plantarum, item evaneſcit & redigitur in Nihilum, ut brutorum. Corporis partes nihil laudabile continere videntur. Si exprimas, nihil in herbis invenies præter ſuccum ingrati ſaporis, & reliquum craſſamentum. Ligna arborum in ignem conijciuntur, & rediguntur in Cineres. Aculei ſpinoſarum plantarum exploſione & odio potius, quam commendatione ſunt digni, ob vulnera quæ infligunt.

3. DIFFERENTIÆ ET SPECIES.

LAUS. Si varietas delectat, laudatur: utiq; plantæ val maximè delectant, & laudari merentur. Sic Tuliparum, Chariophyllorum, graminis &c. ſexcentæ ſunt Differentiæ; quælibet peculiarem gloriam ſibi vendicantes.

VITUPERIUM. Specierum multitudo, per ſe laudem non meretur. Quod Horat: de homin: Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati: Idem de Plantis dici poteſt. Multitudo ſæpe plus damni & dedecoris, quam

quam laudis & Commodi secum fert. Sexcentæ Tuliparum species, ecquid plus possunt quam una? Nihil.

III. AB INDOLE.

PROPRIETATES ET USUS.

LAUS. Proprietates & usus Plantarum infinitæ. 1. In oblectamentis. 2. In re Culinaria & Nutritione. 3. In re Medica & Pharmacis. 4. In suppellectile domestica, quæ omnia è Botanicis petenda. Virtutes Plantarum neq; bruta ignorant, sed ijs utuntur, ut Chelidoniâ hirundines, gramine Canes.

VITVPERIVM. Plurimæ Plantæ noxiæ sunt; Venenosæ homines & bestias in pericula præcipitant: morbos, mortemq; afferunt. Aliæ aculeis pungunt, aliæ utunt, exulcerant. Abusus ad veneficia aliasq; nequitias.

I. A CIRCUMSTANTIIS.

1. RES GESTÆ.

LAUS. Fabulæ de hominibus in Plantas mutatis. Narcissus, Ajax in flores cognomines. Lilium natum ex lacte Junonis. Rosa rubra ex sanguine Adonis, aut Veneris sauciatæ.

VITU-

VITUPERIUM. Culpantur Plantæ quibus ad scelera usæ sunt veneficæ; ut Medea: Sic Aconitum natum ex spuma Cerberi Infernalis.

2. COMPARATIONES.

LAUS. Cum Plantis elegantioribus conferantur ignobiliores. Harum vitijs recensitis, istarum laudes magis eluceſcunt. Hæc n. est Natura contrariorum juxta se positorum. Virgil: Quantum lenta solent inter Viburna cupressi.

VITUPERIUM, Prorsus contrario modo proceditur. Vituperandis Plantis conferuntur aliæ excellentiores, & harum decora. Ita extenuabuntur laudes, & augebuntur turpitudines, ejus quæ est vituperanda.

Exemplum in Vituperatione Rosæ.

Quamvis promulgandarum Rosæ laudum profusissimi sint omnium ferè scriptorum libri: Ego tamen non esse nulla existimo, quorum gratia eadem Rosa culpari, & contemni potius, quam Encomijs extolli mereatur. Causas meæ assertionis breviter edisseram. Vos linguæ animisq; Orationi meæ favete.

I. A PRIMORDIIS.

1. LOCUS NATALIS. *Si commendari consueverunt homines, ob Celebre Natale solum, culpari ob contemptam & vitijs inquinatam Patriam; cur Rosæ frutex, homine multò inferior, effugiat Vicinum superium, quem nasci natura voluit loco abjecto, infelici, sterili! Per ingenitam inclinationem, Rosa nuspiam libentiùs provenit, lætiùs luxuriat, quàm in solo lapidoso, arido, exsucco, alijsq; plantis ferendis inutili, unde quali ingenio prædita sit, facilè possumus hariolari. Cum n. ex terra nutrimentum capiat planta, ex nutrimento corpus ejus, & vires omnes consistant, certè ubi terra nequam, etiam nutrimentum, & totam plantam nequam esse oportet. Aristoteles alicubi dixit, plurimos hominum servos nasci. Haut secus & stirpes multæ, & inter illas Rosa: cujus sors fatali necessitate ad hanc quasi servitutem inclinat, ut velut mancipia abjecto duroq; quovis & aspero cibo contenta vivunt, tugurriolo quovis hospitantur; Ita Rosa nuspiam non locorum, in-incultis, asperis, Sylvestribus, Calculosis, sterilibus crescit; quovis succo, alijs stirpibus aspernabili sustentatur.*

2. *Origo. Ignobilem ac proletariam hanc Rosæ Indolem; etiam inde cognoscere habemus, quod nullo artificio se propagari patiatur, præterquam per viviradices stolones. Omne bonum vulgo dicitur Communicativum sui, quantòq; aliquid nobilius, tantò*

tantò pronius est ad se multiplicandum. Ignobilissimam igitur Rosam esse oportet, quæ nunquam ex jacto semine, nunquam ab abscissis surculis, Progeniem speciemq; suam propagat, (experiri poterit quisquis volet,) quantam etiam curam, quantum cultum impendas. Adeo dura præfractaq; est illius indoles.

3. Inventores, Cultores. Ob hanc vilitatem Rosa quidem apud homines, aliquos invenit cultores sui: At ex Diis Deabusq; nemo fuit, qui ejus patrocinium suscepisse legatur apud Poëtas: Nulla arbor, nulla herba non fuit DEO alicui sacrata. Populus Alcidæ gratissima; vitis Jacho, Formosæ Myrtus Veneri; sua Laurea Phœbo. Rosa hactenus quod sciam, nondum Patronum aut amatorem invenit ullum inter Cœlites. Cupido quidem aliquando ei favisse fertur, Imò Venus ipsa amore eam suo dignata fuit, sed ab spitulis ejus puncta, sauciataq; mater cum filio, postquam ab effluente cruore, flos antè albus, rubore esset tinctus, tam florem quam fruticem contemptui habuerunt, & derelicti, neglecti, tutelam a se segregarunt.

4. Educatio. Ad Rosæ contemptum etiam illud accedit, quòd nihil boni facere animatus sit hic frutex, nullum florem ferre, nullo commodo mactare cultorem suum, nisi ferro flammaq; adigatur. Similis prorsus servis præfractis, aut hominibus animi sceleratis, qui non amore virtutis, sed formidine pœnæ, con-

continent se, intra gyrum officij. Talia Ingenia sunt servilia; orba omni generositate mentis. Talis & Rosa. Nisi illam quotannis tondeas, vulneres, dearticules, præcidas, curvo Saturni dente indolem noxiam corrigas, frustra ab illa exspectabis, aut sperabis flores. Imò sæpe Rosetis integris admovenda est Vulcani violentia, & quidquid supra terram eminet, in Cineres redigendum, alioquin elusurum omnem spem floris, mansurum perpetua sterilitate obsessum. Id olim experti fuere Americani, in quorum provinciam cùm illatæ essent Rosæ ab Europæis, & procaciter quidem luxuriarent ramulis, sed florem nullum proferrent, evenit, ut casu fortuito manu viatoris fax ardens illis admoveretur, exureretq; integram Rosarum Sylvam. Ab illo tempore quasi pœnis affecta Roseta cœperunt Rosas ferre.

2. AB AFFECTIBUS CORPORIS.

1. Conformatio. Quod ad conformationem Rosarum attinet, non equidem video in ijs ullam pulcritudinis notam, ob quam laudari magnopere mereantur. Figura certè tam florum quàm foliorum vulgaris est. Nulla hîc colorum varietas, qualis in Chariophyllis, Tulipis, Narcissis, Anemonibus. Hoc nomine Rosa vincitur à plurimis campestribus floribus. Tres colorum differentiæ in Rosis saltem observantur, albus, ruber, flavus, quas inter

ille

illæ quæ flavedine tinctæ sunt, spurcissimè olent. Rubræ v. & albæ, quamvis odore non ingrato donatæ, tamen dic mihi quamdiu ætatem ferunt? Vix dimidiæ dieculæ. Protenus flaccescentibus foliis, evanescente colore, pereunte omni gratia, cadaver potius floris, quam flos permanet. Videto sis mihi Cariophillos, qui decerpti, integrum octiduum, & ultra, vegeti & succulenti perennant.

2. Partes. Nunc v. si flori ipsi tam parum inest commendatione dignum, quid judicabimus de cæteris fruticis partibus? Hæ sunt (ut hîc applicem Homericum illud) ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης, pondus inutile terræ, nulli rei, nec medicæ, nec culinariæ servientes. A Medicis annotatum novimus, neq; folia, neq; radicem, ad ullos usus in medicinâ adhiberi, ubi vilissimi graminis nulla est ferè particula, quæ non emolumento aliquo juvet diligentem Medicum. Quid dicam de aculeatis spiculis, quibus circumsepti sunt, tam rami, quàm folia, imò cauliculus floris ipse? Natura nihil conata est frustra. Apposuit signaturas tales plantis, quibus homines suæ sponte noveri queant, ut abstineant etiam à contrectatione istarum, vel læsi discant sapere, & vitare sibi noxia. Profectò non minus Rosa, quàm dumi aut sentes, quàm scorpij & aspides, aculeis suis affligunt contrectatores. Apage sis cum talibus oblectamentis: Et tu adhuc honore aliquo has plantas prosequi non vereberis?

3. Species & Differentiæ. *De Specierum ac Differentiarum seu Elegantia seu varietate, non est quod gloriari Rosa possit. Hoc nomine inferior est vilissimo gramine, cujus ultra trecentas species recensent & laudant Botanici. Ita in more positum habet natura, ut quæ excellentiora, & utiliora, ea amet majori copia producere in scenam mundanam, quod vel nos homines Exemplo nostro confirmatum dare quimus. Oportet igitur Rosam valde censeri vilem abjectamque etiam ab ipsa Natura, utpotè cujus vix quatuor, aut quinq; species universum produxit in apricum.*

3. AB INDOLE.

Proprietates, Usus. *Neq; id immeritò. Quæritis causam? Inutilis erat talis frutex, nec ullo beans commodo hominem (ob quem omnia producta) præterquam solius floris odore aliquo eoq; tam subitò evanescente. Quid dicam? in quo etiam Cantharides, scarabæi, & simile genus malignorum insectorum ita nidulatur, ut nusquam lubentius. Simile gaudere simili, antiquum Verbum. Quis scit annon in flore Rosæ plus hæc pestilentia Insecta inveniant quod ament, quàm in alijs floribus? Certè cum coquuntur folia Rosarum pro conservis Hispanicis, relinquunt aquam adeo amaram, adeò male sapidam, ut abijci eam, quippe inutilem, opus sit.*

Porrò reperti etiam sunt, qui solius odore Rosæ inci-

inciderint in animi deliquium, nihil interim læsi à fœtidorum quorumq; odore. Nimirum Rosa exhalat opaca mephytim, & clam venenosi aliquid emittit, quod præcordia occupans, ad angustias adducit olfacientem, peculiari ἰδιοσυγκρασία dispositum, quod alij non persentiscunt.

4. A Circumstantijs.

1. Res gestæ. *Hanc ob causam jam apud sæculum prius, multis rosarum flores vel amantibus, vel usurpantibus, dividiæ fuerunt, cessitq; eorum usus infeliciter. De Fulvio argentario narrat Plinius, quod is cum in bello Punico 2, tempore funesto ex pergula sua Rosis coronatus in forum prospexisset, tamdiu in carcerem conjectus fuerit, donec bellum finiretur. Quis nescit insanum illud Cleopatræ, & Antonij Convivium, in quo præsens mortis periculum à Rosis Antonio datum fuit?*

2. Comparationes. *Nihil tale ab alijs metuendum, vel floribus, vel fruticibus; Viola neminem violat: Lilium, Hyacinthus, Thymus, neminem enecant vino injecta, neq; Narcissus, neq; alba Ligustra, neq; Caltha, neq; Cætera de genere hoc. Non hæc decerpta spiculis pungunt. Non vermiculos noxios æstate generant, educantq; intra se in hominis olfacientis perniciem. Non tam eludunt Hortulani spem, ut usq; difficulter se propagari patiantur: Quibus incommodis ac vitijs Rosas obnoxias esse, nemo*

tam hospes est in re hortensi aut familiari, qui nesciat.

IV. RES INANIMATAS LAUDANDI ET VITUPERANDI RATIO.

1. A Primoroiis.

1. LOCUS NATALIS.

LAUS. Quæ in aëre generantur, ea utpote cœlo viciniora, hoc ipso nobiliora sunt, remotiora quippe à concretione & impuritate. Quæ in terra, ea securo tutoq; locantur. Reconduntur tutissimâ matrice, & nobilissimâ. Quæ in aquâ, pro patria habent Elementum fœcundissimum, sequ[illegible] ἄερος μᾶλλον ὕδωρ.

VITUPERIUM. Quæ in aëre; aër est causa omnis Corruptionis, & putredinis. Nihil in illo constantiæ: Mutabilis est in horas. Quomodo ergo genitis in se aliquid laude dignum conferre potest? Quæ in terra: In Elemento obscuro, & cœco, stupido, immobili, frigido, quid tandem boni? quò nec solis lux, nec calor penetrat? Quæ in aqua: Elementum hoc inconstantissimum, fluxile, &c.

2. O-

2. Origo.

LAUS. Inanimata oriuntur ex principijs simplicibus, quæ magna est Laus. Non opus est hîc sementem facere, neu terram arare. Sponte sua proveniunt, sine labore, sine molestia.

VITUPERIUM. Inanimata oriuntur ex imperfectis substantiis, Vapore & exhalatione: non nisi per concretionem: quidni ergo & ipsa ignobiliora? Non est eorum origo stata, firma, sed fortuita, accidentalis: Unde etiam nulla certa figura illis aut forma.

3. Cultores: Inventores.

LAUS. Inanimata aërea, suos habent DEOS patronos, Æolum venti, Jovem fulgura. Serenitas Junonem &c. Terrea colunter ab omnibus Regibus, Principibus, Medicis &c. Itemq; & Aquea.

VITUPERIUM. Aereorum Patroni Dij fabulosi sunt, indigni laude: Terrea potius insidiatores habent quàm cultores; Rectè Philosophus, Aurum pallere, quia illi struerentur passim insidiæ. Aquea, magna ex parte mare ipsum sua sponte evomit projicitq;, tanquam excrementa & abortus; Inventa per accidens auferuntur.

2. Ab Affectibus Corporis.

1. Partes.

LAUS. Si sunt Simplicia, carentia compositionis, hoc ipso sunt nobiliora.

VITUPERIUM: Simplicia sunt ignobiliora, quia carent varietate partium, quam comitatur virtutum varietas, & nobilitas.

2. Differentiæ.

LAUS. Si quædam nacta sunt Species ac differentias aliquas, id laudi vertitur. Varietas enim delectat & juvat. Si quæ nullas habent differentias, ea laudando ob simplicitatem, quâ similia sunt Cælestibus, & Substantiis incorporeis.

VITUPERIUM. Quæ jam dixi de laude, ea prorsus invertantur. Si quod Differentias habet, id malum: quia virtus unita fortior: dispersa per plures debilior: Unum & non multiplex, DEO est similius. Si quid Differentias non habet, dedecus est: Turpe est carere varietate, in qua consistit pulcritudo.

3. Ab Indole.

Proprietates, Effecta.

LAUS. Omnium inanimatorum effecta sunt admirabilia, & efficacissima.

VI-

VITUPERIUM. Sunt sanè effecta multa & varia: tamen sæpe homini noxia, periculosa, vel sæpe abusu corrupta.

4. A Circumstantiis.

1. Res gestæ. Historiæ huc applicentur laudabiles, in laudem. Culpandæ pro vituperio.

2. Comparationes.

Exemplum in Laude Fulguris ET TONITRUI.

1. A PRIMORDIIS.

1. LOCUS NATALIS. *Genitalis sedes Fulguris & Tonitrui Aër est, pars Expansi, cœlo vicinior, Ætheri similior, ut à terræ globo ignobili remotior, ita excellentior, & ipso, & ea quæ in eo nascuntur. Ortum enim sapit Naturam suæ Originis. Aërem verò in tres Regiones aut Provincias mente distingui, solemne est apud Philosophos naturales. Inter has quæ Media, ea est Colonia & Locus Natalis fulguris tonitruique, sicut plurium quoq; aliorum Meteororum. Jam verò ab omni antiquitate ita statutum est, ut quæ Media sunt inter extrema, illa veluti præstantiora, ita laude digniora. Hinc dicta illa, In Medio consistit virtus. Virtus est medium Vitiorum. Medio tutissimus ibis. Hinc quem honore singulari afficere satagimus, ei medium tribuimus*

Locum: sunt proinde Fulgura & tonitrua, non solum in genere ob aërem, sed & sigillatim, ob medium hunc aëris expansi locum, in quo generantur, nobiliora. Quin etiam hæc sedes illorum ortui aptissima est. Superior Regio nimis magno flagrat æstu, ob solis ignisq; Elementaris vicinitatem. Infima nimis mutabilis, & inconstans. Media respectu extremarum frigida quidem, in se tamen considerata, ita temperata, ut Meteora ignea nusquam gignantur melius quam illic.

2. Origo. Materia fulguris & tonitrui est omne id quod in terrâ, aquaq; præstantissimum, subtilissimum, efficacissimum: nimirum exhalatio & vapor; ille terræ, hæc aquæ soboles. Hæ subtilitates vi solis & stellarum in sublime vectæ, pronisq; ulnis exceptæ, à media aëris provincia compingantur in formam densiorem. Et calida quidem exhalatio, velut in ovo luteum, centrum occupat, frigidiore vapore, ceu albumine, foris undiq; circumfuso. Unita a fortiorq; reddita exhalatio accenditur, & facessit in flammas, dumq; per ambientem Vaporem transitum quærit, & eluctari conatur, facta vi via, disrupto vapore condensato, erumpit cum fragore & strepitu tremendo. Quid admirabilius? quid sublimius? quid laude dignius tota mundi inferioris machina complectitur? simplex halitus, ac is ne oculis quidem notabilis, ortum præbet affectui adeo divino?

3. In-

3. Inventores. Cultores. *Aliæ quidem res suis gloriantur DEunculis inventoribus, aut cultoribus. At tonitru & fulgur supremum DEorum Patrem & Regem Jovem dispensatorem ac promum condum agnoscunt. Non erat dignus in toto DEorum concilio, qui curam susciperet tam admirabilis & excellentis Meteori, præter Jovem.*

2. Ab Affectibus Corporis.

Flamma ejus quasi anima est: boatus seu fragor quasi corpus: utrumq; plenum divinitatis: plenum admirationis. Flammâ micante nihil pernicius, aut velocius humanus oculus vidit. Fragore intonante nihil penetrantius humanæ aures perceperunt. Non corporis solùm sensoria, sed intima cordis animiq; penetralia ijs quatiuntur.

3. Ab indole.

Proprietates, Effecta. *Enimvero ut de animo prius dicam, nemo unquam fuit tam ferox mentis, tam ferreus pectore, tam obstinatus ingenio, cui non incusserit tremorem & timorem, flammantis fulguris penetrantissimus splendor: reboantis tonitrui horrendus ac tremendus fragor. Tota mundi compages ijs contremiscit, nedum misera homuncionum animula. Terror ille gentium & totius Orbis Alexander M quanquam se Jovis filium venditaret, tamen non fuit tam animosus, ut non con-*

tremuerit audito tonitru, & viso fulgure: Ei cùm diceret quisquam. Tu, o fili Jovis, idem si potes facito: subticuit, & pudore juxta ac timore suffusus, agnovit se mortalem. De Tyberio Cæsare nemini non notum est, quod is tantopere cohorruerit ad tonitrua, ut se profundissimis Cryptis abderet. Facessat igitur monstrum illud hominis, appellans tonitru πρόδον διὸς, crepitum Jovis, dignum mehercles, quod adigat Jupiter Fulmine ad umbras: Pallentes umbras Erebi, noctemq; profundam. Qui non prorsus è potestate mentis exijt, is sicuti in seipso deprehendit, ita fateri cogitur, divina quadam ratione

humanas movere tonitrua mentes.

Sed quos in Corporibus exserunt effectus fulmina & tonitrua, non minoris sunt admirationis, non ignobilioris efficaciæ. Tonitru altissimas arbores, & vellure evellit, & medias sæpe dissindit: Turres vastissimas humi sternit: montes rupesq; disicit, & disrumpit: Quæ vis, quæ potentia, quod robur æquiparari huic potest?

Jam vero Fulgur uno oculi ictu, pernicitate incredibili, virtute ineffabili, homines quandoq; ita percellit, ut animâ quidem priventur, at in corpore ne levissimum quidem, vel combustionis, vel læsionis inditium deprehendatur, ipsis enecatis eundem prorsus positum membrorum, vultus conformationem,

ac

ac gestus corporis, quos vivi obtinebant, retinentibus.

In alijs ossa sola comminuit, medullam absorbet, cætero corpore illæso. Alios foris in superficie corporis comburit usq; ad nigredinem, exstinguit q; nullo in Interaneis mortis vestigio reperto. Sæpe non tacta vagina gladium, non tacta crumena inclusos nummos liquefacit. Sæpe conjecto in flammas Cado ligneo, & penitus combusto, vinum linquit illæsum, ita stupefactum induratum q; ut stet, sicuti Marpesia cautes, neq; diffluat: O admirabilem Naturæ potestatem in his Meteoris! O suspiciendas fulguris virtutes! Quis talia secum perpendens, non prosequatur summa laude, religiosa veneratione, meritissimis præconijs, partim conditorem horum, partim hæc ipsa?

4. A Circumstantijs.

1. Res gestæ. *Memorabilis est & scitu dignissima historia, quam de messoribus octo recenset* Cardanus, *Opere de rerum variet:* In Insula Lemno messores isti octo sub quercu sumebant cœnam; mox percutiebantur fulmine, & exanimabantur, servata eadem specie & oris figura, & corporis positu, quem gerebant viventes. Alius poculum ori admotum, alius cultrum panem scissurus, alius manum in patinâ tenebat. Deniq; nullus erat qui non simile quid faciendo cœnanti præ se ferret speciem.

Addi

Addi possent etiam ex alijs autoribus non inelegantia. Plutarchi hæc sunt, lib: Quæst: Convi: Elide fulmen in domum Dorothei Rhetoris illapsum, multa miracula edidit. Vinum ex dolio exhausit vase illæso. Hominem somno stratum transvolans, neq; illum offendit, neq; vestem attigit, sed ejus cinctum, in quo succinxerat nummos æreos, liquefecit & fudit totum. Militis, qui Romæ ædem sacram custodiebat, fulmen propè dilapsum, combussit calceamentorum corrigias, neq; aliud quidquam damni attulit. Pyxidularum argentearum, quæ capsulis ligneis inclusæ erant, argentum quidem colliquatum fuit, metallum intactum, & integrum relictum & inventum.

Plinius denique autor est, Martiam Principem Romanam, fulmine ictam gravidam, partu exanimato, citra ullum aliud incommodum vixisse. Excutite vos (quotquot estis) Philosophiæ naturalis sacerdotes, secreta rerum Physicarum, invenitisne simile quid, aut secundum hisce miraculis? Dignis Mehercules, quæ nunquam non mente perpendat quivis æquus sapientiæ æstimator.

2. Comparationes. *Unum adhuc addam, & tum dicendi faciam finem. Cum tonitru ac fulgure (si magnis componere parva liceret) comparare quis posset tormenta bellica, quæ ante sesquicirciter seculum, in Europa inventa, hodiè nimis quam familiaria facta sunt, per omnem telluris habitabilis circuitum*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728212315/phys_0164
DFG

cultum. *Cùm primâ vice Americani vidissent tormenta hujusmodi majora explodi, ab Hispanis eò vectis, putarunt illos DEorum filios esse: quippe qui fulgura ac tonitrua facere possent pro arbitrio. Fulguris fulminei æmula est Flamma, ex pulvere pyrio accensò nata, desubito erumpens, & desubitò iterum dissipans. Fragoris tonitralis similis est ictus sonitusq; quem prosiliens ex canali angusto flamma concitat. Verum enimvero, quod simia est respectu hominis; quod exiguus mus pipiens respectu Elephantis barrientis, quod scintilla minima respectu ignis ingentis, id sclopi sunt & tormenta bellica, si cum tonitru & fulgure componantur. Ista vix ad pauca stadia protendunt sonum suum. At hæc totam ferè Mundi Inferioris compagem contremiscere faciunt.*

V. REGIONES, ET URBES, ALIAQUE Loca Laudandi & Vituperandi Ratio.

I. A Primordiis.

1. Situs. Situs Regionum & Urbium respondet Loco natali animalium & plantarum.

LAUS. Commendetur in Genere ea terræ pars, in qua locus reperitur, ut Europa, Asia

sia &c. Cujus laudes decantentur. In Specie situs est vel maritimus, aut ad flumen, ubi extollenda Commoditas navigationum, mercaturæ, affluentiæ rerum. Vel Mediterraneus, ubi securitas ab inundatione: agricultura, venatio melior. Vel montanus, ubi aër salubrior, commoratio tutior. Sylvæ vicinæ amœniores. Summa; prædicetur vicinia Sylvarum, amnium, portuum, montium, pratorum, hortorum, eorumq; salubritas, amœnitas.

VITUPERIUM. Contrariorum Contraria consequentia. Universalis pars terræ Europa, Asia &c. inæqualis admodum est temperamenti, aëris inconstantis, unde Ilias morborum. Tot vitia, scelera, bella, itidem grassantur. In Specie, situs maritimus obnoxius inundationibus: peregrini cum mercibus novos mores, nova vitia invehunt; Civibus datur ansa luxus, superbiæ; Aër marinus neutiquam temperatus, insaluber. Situs mediterraneus remotus est à commoditate negotiandi; pauper & minus instructus à rebus exoticis; obnoxius circumcirca hostium incursibus. Situs montosus, incommodissimus est apportandis rebus ad vitam necessarijs. Aër frigidus, Ventosus, rerum inopia, &c.

2. Con-

2. Conditores. Cultores.

LAUS. Magna est urbis gloria, antiquitas; Reges, aut Heroes conditores; si ejus inhabitatores primi fuere viri fortes, celebres &c. Recenseantur prima constructio, incrementa &c.

VITUPERIUM. Si primi conditores fuere viri illaudati; ut Romæ Romulus fratricida, spurius, genitus quippe ex Vestali; prædator Virginum: Carthaginis Dido, quæ vi seipsam è vitâ expulit, &c. Incrementa per fraudes & scelus ducta. Ita Roma crevit per homicidia, rapinas.

2. Ab Affectibus Corporis seu materia.

Partes integrantes: quales in Regionibus sunt Maria, flumina, montes, sylvæ, portus, Urbes, munitæ arte aut naturâ. In urbibus ædificia, cives &c.

LAUS. Urbes munitæ tutiores. Ædificia Publica, ut templa, armamentaria, curia, porticus, Scholæ, Academiæ id sunt in Urbe, quod unio in annulo. Ædes privatæ, commodè & splendidè exstructæ, earumq; multitudo maximo sunt ornatui, & commodo. Cives sunt anima Urbis. Quantum laudis meretur homo vivens valensq; præ cadavere, tan-

tantum Urbs populosa præaliâ desolatâ. Imprimis commendat Urbem habere Cives literatos, fortes, industrios, divites &c.

VITUPERIUM. Urbs quamvis munita, non tamen eò robustior, si cives fuerint pusillanimi. Multæ gentes, dum munitionibus fidunt, degenerarunt à fortitudine majorum suorum. Philippus Macedo dicebat, quodvis castrum expugnari posse, in quod ingressus pateret asino, auro onusto. Plaut. Pers. ridet munimenta: Si incolæ, inquit, bene sunt morati, pulcrè munitum est oppidum. Ædificiorum Majestas, splendor, multitudo, ad virtutem nihil conducunt. Sæpe turpis vir illustres ædes incolit. Sed nec talia sunt perpetua. Ubi Palatia Romana? Ubi Græcarum Urbium Majestas? ædificiorum superbia neq; urbem felicem, neq; cives bonos facit. Civium multitudo, fortuna florens, instabilis est. Hodie viget, cras nihil ejus supererit. Imò felicitas solet gradus esse ad superbiam, hinc ad turpem ruinam. Unica Lues pestifera omnem illam Civium gloriam evertet cum pulvisculo. Nulla est Respubl. in qua non cives mali, infidi. Xerxes in Græciam ducens tot hominum Myriades, teneriter flevit, quia post centum annos sciret neminem illorum superstitem esse.

3. Ab

3. Ab Indole seu Forma.

Quod anima & ejus Virtutes sunt in corpore, idem sunt leges, consuetudines, formaque gubernationis, in Regione & Urbe.

LAUS. Magistratus, Leges, & regimen salutare, dona sunt DEI, laude dignissima. Felix illa Regio, Urbs, in qua pax, pietas, Justitia, Artes Liberales &c. florent & sunt in precio.

VITUPERIUM. Nihil juvant bonæ leges, prudens gubernatio, si nemo sit qui ijs obsequatur: si nulla exsequtio. Hæc idem sunt, quod pictus in pariete gladius ad bellum. Ostendi quoq; possunt, vel abusus Legum, vel minus salutaria instituta vigere in Regione, Urbe.

4. A Circumstantijs.

1. Res gestæ.

LAUS. Quæ observatu digna, & memorabilia, & præclara evenerunt, aut ab conditoribus, vel incolis facta sunt, recenseantur, ut bella, & post ea Victoria &c.

VITUPERIUM. Culpentur minus præclarè gesta. Religionis contemptus, Latrocinia,

2. Rerum Ubertas.

LAUS. Proventus frumenti, pecorum, lignorum, fructuum, divitiarum & opum.

VITUPERIUM. Hæc fortunæ bona, ut bene utentibus bona, sic malè utentibus mala sunt. Ostendatur eorum vel abusus, vel defectus, aut inopia.

3. Comparationes.

LAUS. Regio aut Urbs, collata cum aliis minus illustribus, evidentiori laude fulget.

VITUPERATIO. Collata cum aliis splendidioribus, ignobilior redditur.

Exemplum. Vituperatio Romæ ANTIQUÆ.

I. A Primordiis.

Roma, quam, si Dijs placet, caput Mundi dicere nonnulli haut erubuerunt, quanta dedecoris infamiâ, jam à prima origine, posteaq; jam facta adultior, laborarit, quisquis cognoscere volet, is æquâ mente perpendat ea quæ dicturi sumus.

1. SITUS. *Principiò sita est Roma in Italia, quæ partim supero, partim infero mari mediterraneo pulsata, veluti accessum liberum præbet quibuslibet eò navigijs tendentibus; Ita hostium invasionibus, prædationibus, vastationibus, latrocinijs,*

dece-

deceptionibus, palàm & nullibi non exposita, cum peregrinis hominibus peregrinos mores, jura, vitia, & scelera, pronâ manu semper amplexata est, & adsumpsit. Italia quàm crebris obnoxia sit inundationibus, corruptionibus pestilentibus aëris, & aquarũ, ob copiosas Thermas, id est, aquas calentes sulphureas, bituminosas, fœtentes, ob innumeras voragines & antra, nocentissimos halitus exspirantia, deniq; ob vicinum in Sicilia montem Æthnam flammas, fumumq; sulphureum fœtidissimum eructantem, cùm pleno ore ebuccinent historici, non opus est ut prolixius deducam.

Hujus Italiæ Metropolin Romam, fluvius Tyberis mediam perlabitur, cujus undæ tot Imperatorum, tot Christianorum sanguine & cadaveribus cæsis infames, tam periculosis sæpe inundationibus sæviunt, ut non solum ædificia, theatra &c. delubra Deorum abripiant, sed & (quod ante annos non ita multos accidit) aliquot hominum millia, miserandum in modum absorbeant.

2. Conditores, cultores. Primos Romæ cultores, & conditores quod attinet, fuere illi Romulus & Remus, fratres duo gemelli, geniti ex incesto concubitu turpissimi scorti Rheæ Sylviæ, & profugi cujusdam Caculæ militaris, cujus ne nomen quidem dignum judicatum fuit, ut consecraretur memoriæ posterorum, sed ut turpitudo aliquo saltem tegeretur, Mars scilicet appellatus fuit. Hæc Rhea Sylvia

antea se totam DEORUM cultui consecrarat, inter vestales Virgines perpetuam castimoniam jurata, sed pòst turpi libidine & lascivia, fidem Dijs datam eludens, clanculario concubitu, seq; suamq; prosapiam deturpavit, materq; facta est primorum Romæ Conditorum, prolis sanè dignæ tali matre. Antiquum & verum est Verbum, Qui semel fines Verecundiæ transijt, eum postea fieri impudentiorem. Mater Rhea, non contenta corpus suum vilissima Lubidine prostituisse, etiam scelus scelere novo auxit, & infantem geminum, tenellum illum suum partum exponens, inter arundineta Tybridis abjecit, (non sine ominoso præsagio, vitâ indignos fore tantarum calamitatum futuros auctores) ubi â Lupæ lactantis, & quotidiè illuc iturientis rumine, parvuli isti fuere enutriti. Quid igitur mirum, postmodum adultos, retinuisse Lupinos mores & animum? Solet n. ingenij indoles sequi temperiem corporis, corpusq;, quale est alimentum, quo fruitur, talem & ipsum Naturam induit â teneris. Nimirum & Ænææ proavo horum Spuriorum, Regina Dido jam olim exprobraverat,

Non tibi Diva parens genitrix, nec Dardanus autor,
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hircanæq; admorunt ubera Tygres.

Romulus

Romulus & Remus egressi ex Ephebis, cum animo cepissent consilium condendi Urbem, deesset q3 illis nervus rerum gerendarum, per rapinas, furta, homicidia, fraudem & perjuria, paraverunt sibi opes, & hominum gregem sui similem.

Quidquid latronum, prædatorum, mancipiorum, re fideq3 decoctâ, honestate omni ejurata, in exilio degentium, nusquam reperiebat stabile stabulum, id catervatim confluebat ad hos suos patronos: donabatur ab iis privilegiis, immunitate, & libertate vivendi. His artificibus, & autoribus cœpta est extrui Urbs, cujus vix dum jacta erant fundamenta, cum Romulus fratri Remo sicarias infert manus, & fraterna cæde ac sanguine, inaugurat nova mœnia. Haut multò pòst monstra hæc virorum, gestientia etiam fœmineo sexu locupletare recentem Urbem, institutis dolosè ludis publicis, convocarunt illuc vicinorum Sabinorum Uxores & filias. Vix cœpto spectaculo, datoq3 signo, quilibet Romanus placitam sibi fœminam præhendit, prehensam domum abducit, abductam stuprat, stupratis omnibus, quilibet suam pro uxore usuraria retinet. Hæc sunt initia, hæc Origo præclaræ Romæ, quæ veluti primulum cœpit per incestos concubitus, per ferinos & bestiales enutritus, per latrocinia, furta, fratricidia, per raptus, per stupra & adulteria, ita nihilo laudabiliora fuere sequuta deinde ejus incrementa.

2. Ab Affectibus Corporis.

Enimvero magnificæ illæ structuræ, amphitheatra, palatia, horti, quid aliud fuere, quàm asyla nequitiæ & Lasciviæ? Tot templa & delubra, cui rei profuerunt, nisi augendæ superstitioni, & Dæmonum abominabili cultui? Splendida illa & Regia ædificia, potuerunt ne ullum è priscis, Regem aut consulem adeò felicem reddere, adeò tutum securumq; præstare, ut non plerique sine cæde & sanguine ficcâ morte descenderint ad Cereris genetrum? ut manserint à vitiis & turpitudinibus liberi? Imò ostende mihi jam nunc, si vir es, gloriam antiquam Romæ, & ejus palatiorum? vix exilia eaq; inutilia rudera supersunt. De incolarum moribus hoc affirmare possum, illic tanquam in Compendium conclusum esse, quidquid usquam scelerum sub sole viguit. Sisto vobis examinandos Tyberios, Neronas, Caligulas, Heliogabalos, Caracallos, Tarquinios, Curtios, Catalinas, & similia Naturæ excrementa, humani generis prodigia, nullus dubito, quin, quæ dixi, verisimilia esse fateamini.

3. Ab Indole & Forma.

Fateor equidem legibus & statutis pluribus non contemnendis, instructam fuisse olim Rempublicam Romanam, sed quis mihi neget, omnia hæc nata esse ex pravis & nequissimis moribus, qui in gente illa, tanquam herba irrigua succreverunt? quin verò,

quæ

quæ ne ista quidem viâ in gyrum rationis se duci passa est? Quid juvant multæ leges, si nemo ijs se præbet morigerum? Fuere illæ Romanis, quod pictæ in pariete virgæ, quas puer neq; metuit, neq; ferientes sentit. Dies me deficeret, si consuetudines nefarias, quæ pro legibus fuere, Romæ usitatas, huc ante ora vestra adducere conarer. Quot putatis myriades tenellorum infantum expositas, & rapacibus bestijs objectas, per solemnem morem istius politiæ? Quot Virginum pudicitias expugnatas in nocturnis sacris Cereris, aliorumq; Divorum Lascivorum? Quot senes præcipites factos, dejectosq; de ponte in Tyberim? Quot homines Leonibus, Ursis, Lupis, Canibus objectos, pro spectaculis & ludis publicis? Quot luctatores humi stratos, fractis cruribus, brachijs, ipsoq; collo? sed desino talium, ad quorum atrocitatem, quoties memoriam excitavi, obstupui steteruntq; Comæ, & vox faucibus hæsit.

4. A Circumstantijs.

1. Res gestæ. *Hæc agebantur quotidie intra mœnia Urbis.* Creditisne foris clementius cum exteris actum? Mehercles cum dominandi libidine inexplebili correpta Civitas, aucuparetur Imperium totius Orbis habitabilis, O cælum, ô terra, quot millia hominum, è vivis ferro sublati sunt! Unus Julius Cæsar, fatetur in prælijs abs se occisa, Undecies centena millia, & nonaginta duo millia capitum. Ex hac

spelunca prodierunt, qui cæteras pessum dedere nationes, qui Urbem Hierosolymam, qui totam gentem ferè Judaicam, qui integrum Orientem fame, ferro, igne, laqueo, veneno exercuerunt, afflixerunt, perdiderunt. Ubi atrocissimis persecutionibus pressi sunt Christiani primitivæ Ecclesiæ? Romæ. Ubi sanguine filiorum & Apostolorum DEI, velut flumine natârunt plateæ & pavimenta? Romæ. Breviter: ubi nemini licuit esse pio, probo? Romæ.

2. Rerum Ubertas. Per has vias grassata est Roma, ad gloriam & divitias, rerumq; omnium affluentiam. Verùm quod porco annulus aureus; quod gladius in manu furiosi, id fuere opes Romanæ plebi. Fuere illis ansæ, & incitamenta, & adminicula superbiæ, luxus, nequitiæ, & quorum non vitiorum? quorum Exempla referre, & historias ad testimonium citare nimis foret prolixum.

3. Comparationes. Hæc cum ita se habeant, quis non vituperio, ferme dixerim abominatione, prosequendum æstimabit Romæ antiquæ statum, potiùs quàm laude & Encomiis? Certè vilis quivis pagus, atq; ignobile oppidum, magno illi Orbis capiti anteferendum, in quibus neq; vitiorum tam uber proventus, & majori tranquillitate frui incolis datur: Velut id assensu suo testati sunt, & perbene sensserunt Diocletianus, Maximinus, sexcentiq; alij Consules & cives, qui relicta spretaq; Urbe, Rus conteserunt, ad prædia suburbana: ibiq; in ocio, reliqvum

quum ætatu, quam in subselijs Romæ, peragere maluerunt.

VI. QUALITATES LAUDANDI & Vituperandi ratio.

1. A Primordiis.

1. Subjectum: Hoc accidentium est, quasi locus natalis.

LAUS. Disciplinæ & virtutes omnes Intellectui inhærent, quo quid excellentius? Si vermiculi alicujus æstimantur, quod innascantur Rosis: quantò magis hic fœtus rationis, quæ est divinæ particula auræ, Habitus alij inhærent corporis partibus, ut morbus &c. Corpus & ipsum Divinitatis particeps, habitaculum animæ &c. Sic Legum subjectum est homo, item conjugij, animal illud plenum rationis & consilij.

VITUPERIUM. Animus (subjectum) sua natura nudus est ab omni cognitione, instar palimpsesti: ærumnabili labore oportet ei insculpi artes & virtutes. Isto certè modo (quia nudus) non magis laudem meretur, quàm Vituperium: Ut lingva tam mala est quàm bona.

2. Inventores, Cultores, Origo.

LAUS. Dij ipsi feruntur inveniſſe artes, Apollo medicinam, Mercurius Muſicam, Pallas Philoſophiam; Themis Jurisprudentiam, &c. Excultores ab omni humana memoria magni, & multi fuere, & laudabiles. Incrementa duxerunt, dum per varios caſus artem experientia fecit &c.

VITUPERIUM. Quid nobis cum fabuloſis Dijs? meræ hæ nugæ. Viri magni invenire & excolere potuerunt, quæ ſunt inutilia, noxia, ut Medea celeberrima artem Veneficam. Mercurius artem furandi. A bono principio ſæpe effectus malus: Ut heroum filij noxæ. Ita artes, ſoboles quaſi ſapientium, ſæpe noxiæ. Breviter ſunt otioſorum hominum figmenta.

2. Ab indole.

1. Objectum.

LAUS. Habitus poſſident nobiliſſima objecta. DEUM, Cœlum, Subſtantias incorporeas, Homines, Corpora Naturalia &c.

VITUPERIUM. Etiam circa laudabilia, turpiter ſe gerere quis poteſt. Diabolus pro objecto habet totum Mundum, imò ipſum

DEUM

DEUM, qualis sit, non ignorat, multoq; perfectiùs quàm ullus homo: Tamen propterea laudem non meretur.

2. Quid sit? Quotuplex sit?

3. A Circumstantijs.

1. Res gestæ.

LAUS. Accersantur Historiæ ad Commendationem, quomodo cultores per eas fuerint evecti ad honores? quid per eas effecerint?

VITUPERIUM. Afferantur contra historiæ in ignominiam. Multis eruditio pernicies fuit; Reprehendi & hic potest, quod artes sint difficiles, sumptuosæ, longi temporis, ærumnabilis laboris, intolerabilis sumptus.

2. Comparationes.

LAUS. Virtus cum Contrario vitio: Ars cum oppositâ sibi ignorantia collata, laude illustriori eminet. Una etiam Virtus, cum altera comparari, & hinc Encomion peti potest.

VITUPERIUM. Contrario modo ordinetur.

4. A

4. A Fine.

Usus, Effecta, Commoda. Hic fons in qualitatum laude & Vituperio, omnium latissimè se extendit, & fundamenta, ac materiem laudandi ac vituperandi copiosissimam suppeditat.

LAUS. Recensentur utilitates disciplinarum, & Virtutum, per omnes status vitæ humanæ, per omnes ætates.

VITUPERIUM. Abusus creberrimus & varius reprehensionis macula aspersit artes, & habitus alios. Is demonstretur, per omnes gradus vitæ.

EXEMPLUM.

LAUS scabiei malignæ.

1. A Primordiis.

1. Subjectum. *Igitur flores malignæ scabiei pullulant & excrescunt, non in lapidibus inanimis; non in terra ignobili, sed in perfectissimo omnium animalium homine: Eoq; merito scabies antecellit nobilitate multa animalia, quorum intra obscuram terram nonnulla; quædam in sterquilinijs, quædam in putrescentibus aquis generantur & habitant. Si domus basilica commendat hominem, eumq; æstimari facit, certè scabies erit illustrissima: quippe quæ pro domicilio sibi eligit humanum Caput,*

arcem

arcem illam Pallados, sedem rationis, atq; ibi ad summa corporis humani fastigia elata, ut loco, sic dignitate omnia inferiora superat.

2. Inventores, Cultores, Origo. *Origo illi nobilissima. Ex sanguine quippe, Thesauro illo Naturæ unico, & sede animæ. Sanguine quid dari in homine præcellentius potest? Ex sanguine cæteriq; humoribus gignitur homo. Gignitur & scabies maligna. Utriq; eadem nativitatis materies. Hæc forte causa, quòd prisci sapientiæ antistites, scabiem posuerunt in tutela DEÆ Psoræ, cujus numen religiosè ab illis cultum est, ut vel hinc quivis ejus nobilitatem dijudicare habeat, utpote, cui etiam divinum numen præpositum sit.*

2. Ab indole.

1. Quid sit. *Porrò, si Lilia, si Rosas, si violas, laude ac amore dignas judicatis; si flores sensibus voluptatem objicientes expetitis; profectò scabiem capitis odisse non potestis aut vituperasse. Quid nisi aliud, quàm efflorescentia quædam capitis? quàm Rosa aut Lilium pullulans in agro cutis, quâ caput cingitur?*

2. Quotuplex. *Et verò si varietas delectat, si laudatur diversitas colorum in cauda Pavonis, in flore Iridis; non minori encomio digna erit Psora capitis, utpote, cujus permagna est varietas: aliqua sicca, aliqua humida, quædam pustulis, tanquam*

Marga-

Margaritis exornata, a liqua cruſtis, tanquam bracteis aureis conſpicua.

4. A Circumſtantijs.

1. Res geſtæ. *Si in proſcenium mihi adducenda eſſent Exempla Regum, Ducum, Magnatum, inprimis adoleſcentum, Muſis & Appollini militantium, quorum capita his gemmis fuere exornata, Dieſpiter mihi eſſet invocandus.*

2. Comparata. *Nullus eſt corporis affectus, tanta reverentia & cura obſervari poſtulans, quantâ ſcabies maligna. Febres, humilis & plebeæ indolis, tractatæ etiam proletariè, nihilo ſiunt ferociores. At ſcabiem malignam, ſi vel rigidè nimis, vel negligenter nimis habeas, non ſecus ac generoſa leæna, animo effervescit, atq; in iram concitata, non tam facilè placari ſe permittit, hoc ipſo ſimilis imperatori, de quo Homerus. lib 1. Iliad.* Κρείσσων γὰρ βασιλεὺς ὅτε χώεται ἀνδρὶ χέρειω, &c.

4. A Fine.

Uſus, Effecta, Commoda.

Beneficia quibus maligna ſcabies hominem afficit; innumera ſunt. Per ſcabiem caput, totumq; Corpus liberatur ab inutilibus humoribus. Scabiei debet homo ſalutem ſuæ valetudinis. Scabies in homine plus valet quàm omnia medicamenta. Absq;

ipſa

ipsa enim esset, sæpe humoribus resiluis, periret totus homo. Non secus ac Hippocrat igne accenso, aëris contagionem, & inde enatam pestem sustulit: Haut aliter accensâ scabie, caput liberatur à plurimis gravissimis morbis. Itaq; scabies est ἀλεξίκακον, est tanquam Magistratus, è medio tollens res nocuas. Cui Duci populus saluten suam acceptam fert, eum effert summis laudibus. Et vero scabiei acceptum ferendum est, quod caput ab Epilepsia, apoplexia, Lethargo, aliisq; hostibus humanæ incolumitatis liberum perseverat. Hæc ergo est scabiei utilitas. Si jucunditatem spectes, num exigua illa est voluptas, qua scabies perfundit fricantes? Certè non minor quàm Venerea. Cur musicam, cur vinum expetunt homines? Ob voluptatem, quâ gustus, auditusq; perfunditur. Appetant ergo etiam scabiem, quæ pari voluptate beat tactum. Et appetant eò magis, quia nulla voluptas major, quàm in tactu, quem objiciunt corpori duæ deæ, Venus & Psora. Vos pulli Cupidinis, extollite Venerem laudibus: Non minoribus digna est Diva Psora. Qui scabunt se, judicant se cœlum vertice tangere. Quæritis ulterius etiam pulcrum & honestum in scabie? Dabo & id vobis largâ manu. Flores ornatui sunt hortis; scabies est flos cutis: proinde & hominem ornat. Nævus aliquis, aut macula in facie, creditur pulcritudinem augere. Cur non de scabie idem asseveramus? Certè scabies cutem capitis facit novâ, & rejuvenescere instar serpen-

serpentum. Nunquam Ceruſſa, aut oleum Talci tam nitidam reddet cutem, quàm ab diſceſſu ſuo ſcabies.

Poſtremò ut fumus ignem, umbra corpus, ſic ſcabies & arguit & ſequitur vitam beatam, divitem, tranquillam. Ruſtici & gens proletaria, tanto theſauro indigni, raro ejus fiunt Compotes. Qui vitam agunt quietam, qui corticulam curant, neq; duris ſe macerant laboribus, hi merentur gratiam DEÆ Pſoræ, & hoc beantur theſauro.

IV. DE REFUTATIONE GENERIS DEMONSTRATIVI.

Quæ eſt ratio Confutationis?

Orationes Encomiaſticæ, aut raro, aut nunquam Refutationis indigent: ſi quæ enim adverſa ſunt, ea ſubticeri malunt, quam propalàm differri & poſtmodum refutari. Quod ſi omnino adhibenda refutatio, inſtituetur ea juxta normam, quam in genere Didaſcalico tradidimus, cujus præcipua capita ad ſolvuntur. 1. Negando, 2. Diſtinguendo.

Exemplum Refutationis, In Laude ſcabiei.

Neq; nobis quidquam incommodi metuimus ab iis,

illis, qui objicere possent, scabiem oriri à putridis corruptis humoribus. Dicant illi, num non humanus ipse fœtus nascatur ex corruptissimo sanguine menstruo? Nam non ipsum semen corrumpi, & putrefieri necesse sit, si exinde homo debeat generari? Dicant mihi, ecquidne possit pullus gigni non corrupto antè ovo? Omnis generatio unius, est corruptio alterius. Quid ergo mirum, si & scabiei origo sit ex corrupto humore?

Simili modo instituenda est Refutatio in Vituperiis, si ea opus est, quanquam potius sicco pede prætereunda sint, quæ objici possent.

V. DE PERORATIONE.

In quibus consistit Conclusio Orationis Laudatoriæ?

In duobus. 1. In repetitione plærorumq; capitum laudis, addito quandoq; voto. 2. In cohortatione ad acquirendas, aut amplectendas similes Virtutes.

Exemplum Laudis.

1. Repet. cum voto. *Hactenus graphicè depinxi vitam moresq; Philosophi Cynici, & velut in speculo ostendi vobis, Exemplar vitæ severæ & frugi, quomodo vir ille quanquam Ethnicus, & à veræ Religionis possessione alienus, tamen virtutum*

studioßißimus, observantißimus continentiæ, temperantiæ, humilitatis, tolerantiæ; Ex adverso vitiorum, quibus multi Ethnicorum & Christianorum suffocati sunt, o si fuerit acerrimus. Utinam hac quidem in parte vestigia illius sequi unusquisq; annitetur!

2. Adhort. *Nostri certè officij erit, auditores summo studio eniti, ut virtutum bonæq; mentis simus amatores, ne Ethnicus Christianis nobis, hac in palæstra palmam præripiat.*

In quibus consistit conclusio Orationis Vituperatoriæ?

In duobus 1. Repetantur præcipua Vituperationis Capita. 2. Adducantur & excitentur auditores, in odium vitiorum enumeratorum.

Exemplum Reprehensionis.

1. Rep. cum voto. *Hæc brevis est, quam ex ore meo huc usq; percepistis, Historia, de rebus gestis famigerabilis Diogenis, quæ vobis ob oculos ponit, tanquam in Epitomen redactam farraginem plurimarum turpitudinum, scurrilitatis, impudentiæ, vanitatis, stultitiæ, luxuriæ, fraudulentiæ, rapinæ, impudicitiæ, quibus vir ille usq; ad aures submersus, & penitißimè sepultus fuit. Utinam non multos reliquisset morum suorum sectatores, etiam in media Christianitatis luce!*

2. Ad-

2. Adhort: *Cui mens est integra, & de meliori luto efficta, ut omni conatu in id incumbet, ut, quæ in Cynico hoc reprehendi audivit, ab ijs conetur esse alienissimus, & Diogenis quam dissimillimus.*

III. DE GENERE DELIBERATIVO.

Quale est & Subjectum Generis Deliberativi?

Omnis Thesis aut quæstio, de qua Deliberatio instituitur, an facienda sit, an intermittenda? id est, cujus tam affirmans quam negans pars, argumentis defendi, & ultro citroq; de ea disputari potest; ut, An liceat seipsum interficere? An consultum sit navigare?

Quomodo differunt Themata deliberativa, à Thematibus Didascalicis?

Utrobivis quidem, tam in genere Didascalico quam Deliberativo, datur aliquid astruendum, aut destruendum; affirmandum, aut negandum. Sed ad Didascalicum pertinent solæ illæ Res, quæ consistunt in simplici contemplatione, quæ saltem doceri & cognosci volunt, ut, sitne mundus æternus? Ast verò ad Delibetativum spectant illæ, quæ facto &

operâ ipsâ perficiuntur, non contentæ nuda speculatione, ut, An peregrini sint recipiendi in Urbem?

Quotuplices sunt Res Deliberandæ?

Duplices: 1. Suadendæ, quas affirmamus, defendimus, hortamurq; auditores, ad eas amplectendas. 2. Dissuadendæ, quas negamus, rejicimus, & ab iis dehortamur.

I. DE EXORDIO GENERIS DELIBERATIVI.

Unde desumitur Exordium Generis Deliberativi?

Non opus est hîc novis præceptis, sed juxta leges generum jam enumeratorum conformatur Exordium etiam in statu Deliberativo. Ita Exempla illic posita hîc applicari possunt.

II. DE PROPOSIT: GENERIS DELIBERAT.

Quomodo instituitur Propositio Generis Deliberativi?

1. Ponitur Occasio (si qua suppetit) qua permoti Thema ad deliberandum produximus

mus in medium. 2. Thema ipsum per quæstionis modum proponitur. 3. Indicamus, quam partem defensuri simus, affirmantemne an negantem. 4. Petimus attentionem, ut in cæteris Propositionibus.

I. Exemplum, an Peregrini sint recipiendi?

Affirmatæ Quæstionis.

1. Occasio. *Hodie ea est hominum versutia, ut nemo suæ urbis, regionisve limitibus se constringi patiatur, sed quisquis non solum visendi ergo, verùm etiam commorandi, alias urbes accedat. Inde tamen cum partim plurima incommoda, partim etiam utilitas redundet,* (2. Thema.) *meritò quæritur, An in Remp. admittendi sint Peregrini?*

3. Sententia nostra. *De hac re non solum dicturus sum, sed & demonstrabo, omnino recipiendos peregrinos.* 4. Petitio. *Quod dum facio, vestram imploro, auditores, humanitatem & benevolentiam, contendoq; à vobis enixim, ut, quam antehac alijs prothymè & liberaliter concessistis, eam mihi faventiam ne denegetis.*

II. Exemplum, An sit navigandum?

Negatæ Quæstionis.

1. Occasio. *Non potest vos latere, auditores, quod præteritis Mensibus, vicinæ ad Littora Bal-*

thes, non solum naves aliquot mercibus utilissimis refertæ ex alijs oris appulerint, sed etiam ex adverso, nonnullæ nostratum hinc in alias provincias ituræ, per Neptuni & Æoli inclementiam submersæ, & fluctibus sepultæ sint, non exigua hujus Urbis clade.

2. Thema. Hinc dubietas nemini non oriri posset, consultiusne sit, navigationes instituere? an penitus intermittere? spectata tanta Fortunæ inconstantia & incertitudine.

3. Sentent. nost. defens. Ego verò auditores, postquam controversiam hanc apud animum meum ultro citroque ventilavi, & seriò perpendi, invenio causas prægnantes, qvur navigationes prorsus intermitti potius, quàm usurpari debeant.

2. Petitio Attent. Hanc meam sententiam, quod scilicet navigationes neq; sint utiles, neq; necessariæ, sed periculorum plenissimæ, defensurus, & rationibus haut vanis demonstraturus, summopere vos obtestor, ut faventiæ vestræ auram mihi aspiretis, quâ navicula Orationis meæ impulsa, secundis ventis portum optatum assequi possit.

III. DE CONFIRMATIONE GENERIS DELIBERATIVI.

Unde ducuntur Argumenta Thematis Affirmandi, in Genere Deliberativo?

Ex

Ex quinq; sequentibus Cupitibus, quibus tamen tanquam Prolegomena præmitti debet Explicatio Terminorum propositi Thematis. Ut quinam dicantur hîc peregrini? Quotuplices sint? &c. Capita autem illa quinq; hæc sunt.

1. Ab honesto, quorsum pertinent, 1. Mandatum, Voluntas DEI. 2. Leges naturæ, & hominum statuta. 3. Consensus cum Virtutibus, & honestate, pietate, prudentia, fortitudine, temperantia, &c.

2. A Necessario. Sub quo compræhenduntur causæ impellentes, occasiones urgentes: indigentia: pericula & damna ex intermissa ea re.

2. Ab Utili & Jucundo. Eò spectant fines, effecta, usus, Commoda, oblectamenta.

4. A Facili. Huc referuntur media, seu Instrumenta, causæ promoventes propositam rem, & adjuvantes: quales sunt Ingenium, Ars, Natura, Exercitatio.

5. A Simili. Sic appello 1. similitudines propriè dictas, petitas à rebus naturalibus, artificialibus, operibus & consuetudine hominum. 2. Exempla ex Historiis Sacris, juxta ac profanis, propositum nostrum confir-

mantia. 3. Testimonia autorum idem censentium.

Unde desumuntur Argumenta Thematis Negandi?

Similiter è quinq; Locis contrarijs.

1. Ab Inhonesto. Quòd Res sit contra DEI præcepta, contra bonos mores & honestatem; contra Virtutes varias, Leges naturæ, statuta hominum &c. quibus res dissuadenda adversatur.

2. A non Necessario. Quòd sine incommodo eâ carere possimus. Nulla necessitas nos illuc impellat.

3. Ab Inutili. Quòd damno potius, quàm usui sit.

4. A Difficili. Quòd conjuncta sit cum magnis periculis, laboribus: quòd raro finem suum consequatur.

5. A Simili. 1. Adjunctâ Similitudine. 2. Exemplis. 3. Testimonijs itidem Rem negantibus, & ei oppositis.

I. Exem-

I. Exemplum affirmatæ Quæstionis, De recipiendis peregrinis.

Peregrinos esse in Urbem recipiendos.

In Vestibulo notari velim, per peregrinos intelligi à nobis illos, qui peregrè advenientes non sunt membra illius Reip. in qua nos versamur. Horum autem cùm magna sit varietas, aliqui tanquam fuci adveniant, ut abliguriant bona civium, quales sunt validi mendicantes. Alij urbem ferro flammisq; deperditum veniant, quales tempore belli hostes & proditores: Alij insidias struant Religioni, ut Jesuitæ. De horum nullo genere nobis sermo est: sed solùm de illis, qui ut amici, ut fruituri legibus nostræ Reip: ut illaturi in civitatem mercimonia, recipi se desiderant. Hujusmodi peregrinos nego rejici debere.

1. Ab Honesto. *Quia qui ambiunt nostram conversationem homines sunt. Inhumanum certè est hominem ab homine pelli, si non perpetratum veniat manifestum scelus. Fera feram non abigit. Non hic lupis mos, non Leonibus; Postulat natura humana, ut humanitatem exerceamus. Jubet autoritas Divina Exod. 22. & 23. ubi DEUS monet advenam non affligendum, nec tristitia afficiendum. Si Peregrinus (inquit) habitaverit in terra vestra,*

ne exprobretis ei. *Quin & de Reip. essentia est, ut in ea versentur omnis generis & conditionis homines. Proinde quis non intelligit pium esse, & maximè decorum, benignitatem suam exercere, maximè erga advenas? Decere hoc imprimis viros prudentes, & politicos? qui, si sui esse officij ultro fatentur, humaniter convivere cum Civibus; quis non idem sibi faciendum putet cum exteris? Laudatur ab omnibus hospitalitas, quam indigentibus denegare nimis foret barbarum.*

2. A Necessario. *Consideret verò quisquis, quanto sit damno conjuncta peregrinorum â nobis repulsio. Inquilini Urbis manent barbari, Urbes solitariæ, jacent prostratæ negotiationes, Academiæ, forum &c.*

3. Ab Utili & Jucundo. *E contra peregrinorum receptione excoluntur mores, floret negotiatio, mercibus novis & copiosis tabernæ abundant; exstruuntur de novo ædificia. Respublica augetur reditibus: accrescunt Templis proventus: opifices omnes habent quod agant: deniq; rerum affluentia gaudet & fruitur tota Civitas.*

4. A Facili. *Neq; opus est ad hanc Rem magno labore. Ipsi ultrò expetunt, & se obferunt peregrini, sine sumptu & dispendio nostro: sine invidia, sine damno Reip. Negotio facillimo hujus boni compotes nos reddi, & sui desiderij participes exteros facere poterimus.*

5. A

5. A simili & Exemplis. *Honesti & pij hujus negotij exequendi, non erimus nos primi auctores. Fecerunt id antè nos florentissimæ Orbis Resp. quæ non aliâ ratione creverunt, quàm quòd haut invitæ receperint in societatem, intra mœnia sua, populos exteros. Exemplo sunt Venetiæ, Amsterodamum, Antwerpia, antiqua & recens Roma. Ubi exadversim, misera fuit sors earum Civitatum, quæ gravatæ sunt, hoc humanitatis officio prosequi & excipere advenas. Spartani hoc nomine laborarunt magnâ incolarum inopiâ. Americani nisi olim recepissent Hispanos, non gauderent hodie Christianâ Religione. VVismaria Urbs olim & emporium Nobile, cur hodie ad solitudinem ferè redacta? Quia noluit in Urbem immittere habitatores Belgas, &c.*

II. Exemplum Negatæ Quæstionis, de Navigationibus Instituendis.

Initiò quid per Navigationes audire velim, facilè, etiam me tacente, percipitis. Scilicet sermo mihi est, non de traijciendo amne aliquo, adminiculo Cymbæ aut Phaseli, ab una ripa in alteram: sed de sulcando magno Oceano navibus onerarijs, quod ipsum sicuti frequentissimum hodie est, ita maximo jure, & ob causas gravissimas abrogandum, atq; intermitten-

mittendum esse arbitror. Eas causas compendio sulsù à me accipite.

1. Ab Inhonesto. DEUS hominem collocavit in terra, non in æquore: cur non in terra eum sustentaret, æquoris quamvis carentem? dummodo nolit esse ignavus? Qui relictâ terrâ æquori se credunt, diffidunt DEO, conjuges & liberos deserunt, vitam & fortunas præsentibus exponunt periculis, quòd & impium, & inhonestum esse nemo negabit. Tum porrò per navigationes scelera multa, & peregrini mores invehuntur in patriam, disciplina vetus corrumpitur. Nautæ vento secundo insolescunt, & hoc suo contagio facilè inficiunt comites. Adverso vel desperant, vel alios simul desperare faciunt.

2. A Non Necessario. Pergo, & illud addo, Naturam hominis paucis esse contentam, nec indigam mercibus peregrinis, gemmis, purpurâ, unguentis, aromatis, stragulis. Optimum ciborum condimentum fames: somni invitamentum, labor & defatigatio.

3. Ab Inutili & Injucundo. Utilitatem ego à navigantibus nullam, incommoda verò plurima ad genus humanum pervenire video. Quodnam Elementum barbarum magis aquâ? ne ignis quidem. Mari si te credas, quanquam videare apprimè dives & opulentus, tamen nihil possides proprij; non merces, non navim, non valetudinem, non Vitam. Mare multò plus aufert, quàm tribuit. Dicescunt aliqui:

at e-

at econtra innumeri rediguntur ad extremam inopiam. Et meritò quidem. Nullâ enim urgente necessitate, præsenti mortis periculo se exponunt. Hic metus perpetuus, spes incerta: monstra marina, scopuli, loca vadosa, littora infida. Et si mors adhuc evitatur, naufragium miserabile, bonorum omnium jactura, & sanitatis perditio. Cœlum & mare, Superi & Inferi conjurârunt in pernitiem navigantium. Tametsi Neptunus quandoq; inducias illis daret, furit tamen Æolus, & ventorum cohortes emittit. Unà Eurusq; Notusq; ruunt, tristisq; procellis Africus. Minatur tonitruis cælum: Hiat æquor Abyssо. Quod si adhuc affulget bona tempestas, victus ille asper & durus, rerum indigentia in navi, panes atri & bis cocti, salsamenta, aqua putrida; cerevisia tenuis, corrupta: Cubitus in transtris, sub Jove frigido, in pluvijs & grandinibus, fumus & angustia in Casterijs, pediculi passim luxuriantes; Hæc sunt quæ navigantes experiuntur, & ferre coguntur perpetuò.

4. A difficili. Interea ut ductu navis feratur debito, quos labores, ærumnas, sudores, frigora, & quid tandem non perpetiuntur naviculatores? Hanc difficultatem graphicè depinxit Horat: Illi robur & æs triplex Circa pectus erat, qui fragilem trucei commisit pelago ratem, &c.

5. A simili & Exemplis, & Testimoniis. Sed heus tu quisquis es, si scires tibi aliquandiu in carcere commorandum, num non illum maximo averfarere

sarere studio? At navigans te ipsum conjcis in carcerem, multò periculosiorem; è quo an pedem tibi referre liceat, incertum est. Mehercules Poëtæ plærique, & sapientes antiqui, pelagicos homines, & navigandi amantes, exsecrantur, ut liquet ex Horatij jamjam citatis versibus: ex Propert: El. 5. l. 3. I nunc & ventis animum committe, doloso Confisus ligno, digitis à morte remotus Quatuor, aut septem si sit latissima tæda. Antiphanes palam professus est, ὅτι γῆ πένεσθαι κρεῖττόν, ἢ πλουτοῦντα πλεῖν.

Plutarchus verò scripsit, sicut senex Tyrannus est miraculum naturæ, ita quoq; esse simile monstrum navicularium senem. Terentius fortunatum eum vocat qui nunquam ingressus est mare. Et Plautus passim miseriam navigantium posuit ab oculos. In eadem sententia sunt Philosophi. Anacharsis sapiens interrogatus, utrum plures essent, vivine, an mortui? Navigantes, inquit, utrâ in parte ponis? quasi hos in numero viventium non censeret habendos.

IV. DE CONFUTATIONE GENERIS DELIBERATIVI.

Quomodo sit Refutatio?

Refutatio in genere Deliberativo semper ferè habet locum, & diligenter est instituenda,

enda, 1. Negando. 2. Distinguendo argumenta contraria, quæ consilio aut suasioni nostræ opponuntur.

Exempla Refutationis.

I. *Audio susurravi ab adversarijs. Cum peregrinis mores malos pedem in Civivitatem inferre: Cum novo vestitu, novâ Dialecto, nova vitia irrepere. Sed & peregrinos civium opes auferre. Respondeo: acceptandum ab Hominibus Exoticis id quod prodest, & Reip. est salutare: Noxia relinquenda. Tum porrò Efferant sanè aliquid. Id postulat Lex naturæ. Etiam ex adverso alia, & multò plura, gratioraq; inferunt.*

II. *Scio quid objici nobis possit. DEUM ipsum navigium fabricasse Noacho, proinde non posse illi adversos esse Navigatores. Insuper dedisse homini potestatem, ut dominaretur super pisces maris: istos verò quomodo posset in suam potestatem redigere, nisi uteretur navigiis?*

Responsio facilis est. Noacho DEUS arcam instar navigij efficere mandavit, non ut vitam temerario ausu committeret æquori infideli: non ut longinqua maris itinera capesseret: non ut avaritiæ incumbens, conquireret opes exoticas; quæ omnia hodiernarum navigationum sunt summa, adeoq; prora & puppis. Sed ut se & suos liberaret DEI volun-

voluntate & gratiâ, à præsenti mortis periculo: Piscibus etiam homo positus est Dominus. Sed eorum potest compos fieri, etiamsi in altum & medium Oceanum sese non penetret. Sunt pisces fluviatiles: sunt qui juxta littora maris capi se patiuntur. Hîc contentus vivat.

V. DE PERORATIONE, seu CONCLUSIONE generis DELIBERATIVI.

Quomodo absolvitur Peroratio?

Tripliciter. 1. Enumerando præcipua & firmiora argumenta suasionis aut dissuasionis nostræ. 2. Hortando ut datum Consilium, aut sententiam probatam amplectamur, & deducamus in effectum. 3. Interdum addendo Votum aliquod.

Exemplum Conclusionis.

Repet. Argum. 1. *Audivisti hactenus, quibus de causis permotus, suaserim peregrinos in amicitiam & Urbem nostram esse recipiendos; scilicet quia id jubet pietas, & DEI edictum: postulat humanitatis lex: impellunt multiplicia commoda: hortantur Exempla torum florentium Rerumpublicarum.*

Suasio. *Quapropter nolimus esse tam aversi à bona mente, ut renuamus aut dubitemus, locum conce-*

concedere advenis amicitiam nostram ambientibus.

(Votum) DEUS benignissimus, omni felicitate nos faciat florentes, hancq; Rempublicam perpetuus auctet commodis?

II. Repet: Arg. Ostendi vobis, Auditores, quam sit à DEI voluntate alienum, quanto conjunctum cum damno, quam plenum periculi, quam miserum & arumnosum, navigationibus longinquis uti.

Dissuas. Quocirca, nemo tam erit salutis suæ prodigus, tam satur vitæ & fortunarum, ut impostetum sese, bonaq; sua, infido & truculento Neptuno concredere velit.

Votum. Supremus ille sortis humanæ Dispensator, pro benignitate sua faciat, ut infidæ navigationis nihil indigi, alia tutiore & commodiore via, vitam sustentare, & rem locupletare queamus.

IV. DE GENERE JUDICIALI.

Quid est & Subjectum Generis Judicialis?

Controversia Forensis vel litigiosa, spectans ad judicium, positumq; in Controversia, id est, continens in se accusationem, aut

defensionem ; Petitionem , aut recusationem.

Quia hoc Genus Causæ propriè ad Forum, & Actiones litigiosas, ad judicia, ad Pragmaticos homines pertinet: Nobis autem animus est, præceptis Rhetoricis informare studiosam juventutem, in Academia, non foro agentem, & præcipuè adolescentulos, quorum animi avocandi potiùs à litigijs, quam adducendi, quorum mentes harum controversiarum ignaræ, (quæ exercitatum advocatum postulant) proinde de statu hoc judiciali prolixè aliquid commentari, (quod præter rem plæriq; faciunt scriptores Compendiorum Rhetoricorum) & difficilem Rem difficilioribus ac obscurioribus præceptis inclusam proponere, neutiquam existimo esse operæ precium.

LIBER SECUNDUS.

III. DE ELOCUTIONE.

Hactenus expeditæ nobis sunt duæ priores Orationis partes, INVENTIO & DISPOSITIO: aggredimur jam tertiam Elocutionem.

Quid

Quid est Elocutio?

Est quæ Materiam Orationis (per Inventionem ex Locis Topicis erutam; per Dispositionem apto ordine digestam) eleganti & affectuosa phrasi exprimit.

In quibus consistit Elocutio?

Elocutionis officia quatuor sunt.

I. Elocutio Orationem efficit & usurpat puram, perspicuam, & numerosam: eamq; à Grammatica petit, & hîc præsupponit haut secus ac Medicus Physicam. Docere enim quomodo fiat pura, congruaq; Oratio, id Prosodiæ & syntaxeos munus est.

II. Efformat Orationem decoram, id est, argumenta magnifica, charactere grandi, & magnifico; mediocria, mediocri; humilia & tenuia humili stilo exprimit. Sed & hoc ipsum Usu potiùs longo, & experientia commodiùs, quam præceptis addiscitur.

III. Elocutio occupatur Oratione, 1. partim variandâ, 2. partim amplificandâ, 3. partim flosculis Elegantiarum, scil. Tropis & Figuris exornandâ.

IV. Elocutio Orationem facit παθητικὴν, nimirum talem, quæ moveat τὰ πάθη seu affectus in animis auditorum, quales sunt Ira, tristitia, odium, admiratio &c.

DUO hæc posteriora Elocutionis munia, hoc loco nobis præcipuè cordi curæq; sunt.

I. DE ORATIONE VARIANDA.

Quomodo Oratio efficitur varia?

Orationis variandæ diversi sunt modi. Sequentes V. primæ notæ, & faciliores elegantioresq; judicamus.

Redditur igitur Oratio varia

I. Per diversitatem Casuum, quam rationem apud Græcos Theon, apud Latinos Diomedes indicarunt, & Exemplis demonstrarunt.

1. Exemplum in eodem Themate.

N. *Socrates convivis suis nihil apposuit præter olus acidum, dicens: si sunt Amici, non aspernabuntur: si sunt inimici, ne quidem digni sunt.*

G. *Socratis ædes ingressi Convivæ, non alio apparatu excipiebantur, quam brassicæ acidæ ferculo, excusantis se hoc pacto: Si sunt in numero amicorum, æqui bonique consulent: si inimicorum animum habent, etiam frugalium horum esu indigni sunt.*

D. *Socrati cum obvenissent hospites, olere ei ut acido*

acido appositio dixit: Amicis hæc cœnula non displicebit. Inimicis si non arridet, nihil pensi habeo.

A. *Socratem acceſſerant hoſpites, quos ille excepit olere acido: & ita ſe excuſavit: ſi amicos nactus ſum, ſpero hos non acceptures in deteriorem partem tenuia hæc; ſi inimicos, eos nihil curo.*

V. *O Socrates! quam Philoſophicè hoſpites tuos habuiſti, dum olus acidum illis edendum appoſuiſti, ingeniosâ etiam excuſatione erga eos uſe: Vos, inquiens, amici mei, hæc boni acceptabitis; vos autem inimici his ne quidem digni eſtis.*

A. *A Socrate aliquando in cœna excepti ſunt hoſpites, nullo alio apparatu quàm ſolo olere acido; dicente: De amicis mihi polliceor, eos contentos fore. De inimicis non ſum magnopere ſollicitus.*

II. Exemplum in Thematibus diverſis ex Cicerone.

N. Socrates *hanc viam ad gloriam proximam, & quaſi Compendiariam dicebat, ſi quisquis id ageret, ut qualis haberi vellet, is eſſet. l 2. off.*

G. *Vetus illud* Catonis *admodum ſcitum eſt, qui mirari ſe dicebat, quod non rideret aruſpex aruſpicem cum vidiſſet. l. 2. divin.*

D. Themiſtocli *cum Simonides, aut quis alius, artem memoriæ polliceretur, Oblivionis, inquit, mallem. Nam memini eorum quæ nolo: obliviſci non poſſum quæ volo. l. 4. Finib.*

A. Themistoclem *illum summum Athenis virum dixisse aiunt, cum ex eo quæreretur, quod ἀκροάσεως, aut cujus vocem libentissimè audiret: Ejus à quo sua virtus optimè prædicaretur. Pro Archia.*

V. O Marce Drusi, *patrem appello! Tu dicere solebas, sacram esse Remp: Quicunq; eam violassent, eis ab omnibus esse pœnas persolutas. Orat. ad M. Brut.*

A. *Cum ex* Leonino Gorgia *quæreretur, cur tam diu esse vellet in vita. Nihil habeo, inquit, quod incusem senectutem.*

II. Redditur Oratio varia, teste Hermogene, per Modum rectum, quando per totam Orationis periodum, aut plures, utimur casu recto, seu Nominativo, præcedente modò verbo activo, modò passivo cum præpositione.

Exemplum. *Medea filia Æætæ Regis Colchorum fuit, quæ amore Jasonis inflammata, aureum vellus illi prodidit: & cum Jasone aufugit; fugæ sibi Comitem adjungens fratrem Absyrtum: sed à patre eos persequente deprehensa, & pressa, nemine eum remorari valente: Absyrtus à sorore Medea artuatim discerptus fuit, projecitq; Medea frusta in mare, ut dum pater filioli membra colligens, cursum inhiberet, ipsa cum raptore suo Jasone tuto aufugere posset.*

III. Va-

III. Variatur Oratio per modum inclinatum, cum adhibemus casus obliquos, potissimum accusativum cum infinitivo.

Exemplum: *Herculem refert Prodicus, pubertatis annos commodum egressum: in sylvam quandam solum se contulisse atq; ibi aliquandiu sedisse cogitabundum. Non multò post venisse ad eum duas mulieres; alteram corpore habili, & bene pasto, colore florido quidem, sed fucato; vestitu variegato. Alteram habitu membrorum mediocri, facie nativo decore conspicuâ; vestitu & incessu honesto. Priorem illam (quæ voluptatem se vocari, postea fassa est,) citato & lasciviente gradu præcurrisse alteram; & Herculem blandis verborum illecebris, ad sui amorem, & ad voluptatem amplectendam, hortatam esse. Alteram verò (quæ se virtutem profitebatur) gressu modesto & composito, tardius quidem advenisse. Sed & ipsam decorè admodum, causam suam coram Hercule egisse, inq; suas partes trahere Juvenem voluisse. Herculem, perceptâ utriusq; mulieris Oratione, voluptatem quidem pedibus conculcatam à se amovisse. Virtuti autem totum se consecrasse, eamq; patronam & ductricem vitæ suæ elegisse.*

IV. Oratio variatur per Conjunctivum, seu πολυσύνδετον, cum sæpius repetuntur Conjunctiones copulativæ, quibus eleganter interseruntur interrogationes.

Exemplum. *Qua non fiducia erga Polym-*

neſtorem ductus fuit Priamus? Num non filium ſuum natu minimum Polydorum, fidei & tutelæ illius, tanquam alterius patris concredidit? Et verò quo ſcelere non infamis fuit Polymneſtor? An non Priamum veterem Amicum & hoſpitem perfidè fefellit? Et aurum alienum nefario auſu ad ſe tranſtulit? Et jus hoſpitij fidemq; violavit? & in pueri interfecti cadavere immanitatem ſuam exercuit?

Tale polyſyndeton eſt in hoc Virgilij.

Forte recenſebat numerum, Charosq; nepotes,
Fataq;, fortunasq; virûm, moresq;, manusq;.

V. Variatur Oratio per diſſolutum, ſeu per ἀσύνδετον, modo priori contrario, quando conjunctiones copulativæ prorſus omittuntur.

Exemplum. *Ulyſſes adverſus Romanos dolum machinatus eſt. In equum ligneum ſe cum aliis inclusit. Dato ſigno oſtium in latere equi interne reſeravit. Cum Complicibus ſuis erupit. Urbem vino ſomnoq; ſepultam invaſit: obvios quosq; trucidavit: in flammas omnia conjecit.*

Hujusmodi Aſyndeton eſt in hoc Virgilij.

Ferte citi ferrum: date tela: ſcandite muros.

Et apud Martial: *Frange thoros: pete vina: roſas cape: tingere nardo.*

II. DE

II. DE ORATIONE AMPLIFICANDA.

Quomodo amplificatur Oratio?

Sex sequentibus modis.

1. Adhibita Synonymia, cum eandem Rem diversis phrasibus efferimus, idem significantibus.

Exemplum. *Nolo aures animosq; vestros prolixa Orationis serie, longoq; discursu suspensos tenere, sed succinctè, & quam fieri potest brevissimè dicturus, verba conferam in Compendium, id est, Non ero prolixus.*

Virgil. *Quid puer Ascanius? superatne? & vescitur aura*
Ætherea? Nec adhuc crudelibus occubat umbris?

Id est, Vivitne?

Huc pertinent Periphrases, id est, prolixæ, & elegantes rerum circumlocutiones, & descriptiones, quæ, dici non potest, quanto opere tum amplificent, tum exornent Orationem.

Virgil. *Aurea fulgebat roseis aurora capillis,*
Et matutino rore madebat humus.
Thetyos undivagæ cum prosilit æquore Titan,
Flammiferos vultus, ore micante ferens.

Id est, Sol oriebatur.

II. Amplificatur Oratio facta permutatione, quando id quod prius breviter dictum est, fusiùs prosequimur. Vel vice versâ, quod antè copiosè pertractatum, succinctè exprimimus.

Exemplum primò breviter, pòst prolixè.

Narrabo vobis Apologum de cornicula, exornante se alienis pennis. Sed dum quæq; volucris suam repetit, corniculam derisam, & ludibrio habitam esse ab omnibus.

Placuerat aliquando Jovi, etiam regnum esse inter aves, curavitq; illas ad contentionem formæ vocari, addicturus Imperium ei, quæ formosissima visa esset. Pulchritudini igitur omnes studebant, seseq; & in fontibus & in stagnis abluebant, ut, quibus venustas læderetur, pennas abjicerent. Ibi cornicula per Naturam sibi deformior visa, ad hanc artem convertitur. Pennas, quæ in aquis natabant, colligit: sibi scitè apponit, unam alteri ita applicans, ut diversicolor & visu non inelegans appareret. Caterùm ubi ad judicium ventum est, convertit in se oculos avium, nec non Jovem ipsum traxit in admirationem. Corniculæ igitur cedebat candidissimus Cygnus. Pavo cum eo collatus, turpis futilisq; videbatur: aquilæ etiam gravitas despectui erat. Cumq; jam illi esset sceptrum traditurus Jupiter, ibi noctua

noctua suam in corniculæ pennam conspicata, accedit, eamq; evellit. Noctuæ exemplum sequutæ volucres aliæ, corniculam invaserunt & mutuatitias pennas, aliæ alias, singulæ suas rapuerunt. Ita ablatis alienis, forma sua nudata, turpiter stetit movitq; corniculam risum.

Exemplum. Primo prolixè, pòst breviter.

Placuerat aliquando Jovi &c. Audistis qua ratione alienis involuta plumis gloriata fuerit Cornicula. Sed fuco deprenso, avibusq; singulis suas iterum pennas repetentibus, turpiter sese dederit.

III. Oratio amplificatur per Comparativum, quoties præsens factum confertur cum alio dissimili, aut in eodem facto contraria sibi invicem opponuntur.

Exemplum Comparationis cum alio.

Cicer. Action: 6. in Verrem. *Vide quid interfit, inter tuam libidinem, & auctoritatem majorum: Inter furorem tuum, & illorum Consilium ac prudentiam. Illi Syracusanis ademerunt aditum littoris: Tu eis maritimum Imperium concessisti. Illi habitare noluerunt, in illo loco, quo Syracusanorum naves accedere possent: Tu classi & navibus Syracusanûm præesse voluisti. Quibus illis Urbis suæ*

partem

partem ademerunt: ijs tu noſtri imperij partem dediſti.

Exemplum Collatorum Contrariorum in eodem facto.

Videte quò favoris captandi infrunita lubido hominem impellat? Furio Camillo Volſcos obſidente, Ludimagiſter civium filios, fidei ſuæ commiſſos, quos amare debuiſſet, odio habuit: quorum vitam tueri eum decuiſſet, hos prodere, & in capitale periculum ducere conatus eſt. Parentes, quibus pro acceptis beneficiis dignas gratias non rependere potuiſſet, circumvenit. Pueros, quos belli tempore domi retineri oportuiſſet, extra urbem, ad hoſtium caſtra adduxit. Pro quorum libertate caput ſuum debuiſſet hoſti objicere, eos hoſtis poteſtati per fraudem dedidit. Sed pro favore & muneribus quæ inhiabat, quid tandem conſequutus eſt? Sperans mercedem proditionis ſplendidam, etiam veſtibus ſpoliatus, & nudus traductus eſt. Putans ſe honore iri affectum, virgis à diſcipulis ignominioſè cæſus, & ad urbem pulſus fuit. Pueris verò pro captivitate, libertas: Pro periculis, ſecuritas: pro morte vita fuit donata. Volſci, quem hoſtem antè habuerant, eum amicum & protectorem poſtea fuere experti.

IV. Amplificatur Oratio per ἄρσιν καὶ θέσιν, quando partem unam negando removemus; alteram affirmando ponimus.

Exem-

Exemplum. *Cambises à Prexaspi monitus, at ab ebrietate absisteret, non iratus, sed furiosus factus est. Amico bene monenti non gratias agere, sed internecino odio perniciem destinare. Filium illius non amare, sed sagitta in cor vibrata penitus interficere. Breviter non Regem, non amicum, non hominem, sed Tyrannum, sed hostem infensissimum, sed crudelem Tygridem se præstare.*

V. Amplificatur Oratio per μεερισμὸν facta distributione: cum totum aliquod explicamus, prolixiùs eundo per singulas ejusdem partes.

Exemplum: Cicer. pro Milon: *Publij Clodij mortem æquo animo ferre nemo potest. Luget Senatus: mœret equestris ordo: tota Civitas confecta senio est; Squallent municipia; afflictantur Coloniæ: agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant.*

VI. Amplificatur Oratio, per Gradationem, quæ Græcis dicitur Climax, vel ἀναδίπλωσις quando ab uno ascendimus tanquam per gradus ad alia, repetito semper ultimo Vocabulo.

Exempl: Virg: *Torva Lœna lupum sequitur,*
Lupus ipse capellam:
Florentem Cythisum sequitur lasciva capella.

Ov: *Mars videt hanc: visam que cupit: potiturque cupita.*

Cic: *Nam quæ spes libertatis reliqua manet, si illis,*

&

& quod libet, licet: Et quod licet, possunt. Et quod possunt, audent. Et quod audent, faciunt: & quod faciunt, molestum vobis non est.

Themistocles probare solebat filium suum esse potentissimum, tali modo. *Toti Græciæ* (inquit) *imperant Athenienses: Athenienſibus ego: Mihi uxor mea: uxori meæ filius.*

III. DE ORATIONE, FLOSCULIS ELEGANTIARUM EXORNANDA.

Quomodo exornatur Oratio Elegantijs?

Per Tropos & Figuras.

Quid est Tropus?

Tropus est, quo vox à Nativa significatione transfertur in alienam.

Quid est Figura?

Figura σχῆμα est, qua non vox sola, sed tota Phrasis aut Oratio, à vulgari usurpandi modo, commutatur in alium elegantiorem.

Quomodo differunt Tropus & Figura?

Tropus consistit in uno vocabulo. Schema in integra Phrasi: sin illi modo quo in Logica æquivocatio in una voce, amphibolia in tota phrasi.

DE

DE TROPIS.

Quot sunt Tropi?

Septem. METAPHORA. Metaphoræ tres species. ALLEGORIA. HYPERBOLE. CATACHRESIS. Tum SYNECDOCHE. METONYMIA: IRONIA.

I. DE METAPHORA.

Quid est Metaphora?

Μεταφορὰ Translatio est, cum Vocabulum à propria significatione abductum, accommodatur alij simili. Tota consistit in similitudine, qua aliquid dicitur esse id, cui est simile, ut *Homo homini Deus aut Lupus*: id est, similis DEO cuipiam benefico: aut Lupo crudeli.

Vita quid est? fumus, flos, umbra; id est, similis fumo, flori, umbræ.

Hic me urget scrupulus: id est, dubitatio similis scrupulo, aut lapillo in calceis, prementi pedes.

Ætas aurea, argentea, ferrea, i.e. similis auro, aut argento, quoad nobilitatē; ferro quoad duritiem.

Desumuntur autem Metaphoræ à varijs rebus; Quin nihil ferè est in rerum Universitate, unde duci aut peti Similitudo, vel Metaphora non possit.

1. A Terra & rebus terrenis, ut: *Ut sementem feceris, ita & metes. Pondus inutile terræ*, id est, similis terræ, quoad stupiditatem. 2. Ab

2. Ab aqua, & aqueis, ut: *Plato fuit aureum flumen eloquentiæ.* Cic. *Tardi est ingenij rivulos consectari,* (id est, compendia similia rivulis) *fontes rerum non videre* (i. bonos autores ipsos, unde ista compendia desumpta.) Plaut: *Cui neqꝫ parata est gutta consilij.* Virgil. *Magnoꝫ curarum fluctuat æstu.*

3. Ab aere & aereis. Ovid: *Tempora si fuerint nubila,* (id est, tristia, instar nubili cœli) *solus eris.*

4. Ab Igne & ignitis. Virg: *me tamen urit amor; Agnosco veteris vestigia flammæ. Duo fulmina belli Scipiades,* id est, similes fulmini penetranti.

5. A Rebus inanimatis, ut, Cic: *Videor jecisse fundamenta defensionis firmissima.* Terent: *quantam fenestram ad nequitiam aperueris.*

6. A Plantis. Plaut: *Blitea est Meretrix.* id est, Blito similis. *Flos illibatus populi.* Cic: *Ex omni genere Orationis, floscules elegantiarum carpere. Non solum ramos errorum amputare, sed & radicum fibras evellere decet. Ita dicimus, Radicitus exstirpare.*

7. A Brutis, ut, *Herodes est vulpes. Coridon est porcus. Hecuba fuit canis:* id est, similes quoad mores his animalibus. Plaut: *Emito die cæca olivum: & vendito die oculata:* Dies cæca dicitur, qua differtur solutio in tempus aliud,

seu

seu quæ nihil pecuniæ recipit, id est, similis animalibus cæcis; quæ visu nihil percipiunt: Dies oculata; cum Græca fide, id est, præsenti pecunia mercamur. Plaut: *Manus nostræ oculatæ sunt, credunt quod vident.* Ita homines dicuntur *grunnire, garrire, aliquem allatrare, gannitibus lacessere*, ad exemplum horum brutorum. *Volitare per ora virûm*, id est ad modum avium ferri laudabiliter.

8. Ab hominibus ad alias Res. Virg. *Varios discet mentiri lana colores.* mentiri proprium est hominum, transfertur hic ad Lanam. Talia sunt usitata, *Expolire orationem: Resarcire jacturam temporis: Refricare desiderium.*

9. A DEO & divinis, ut, *Divinum ingenium* Virg. *O Melibœe Deus nobis hæc otia fecit.* id est: Augustus instar DEI colendus.

II. DE ALLEGORIA.

Quid est Allegoria?

Est quando Metaphora, per continuum Orationis textum longius extenditur: Differuntque Metaphora & Allegoria, secundum magis & minus; ut brevius & prolixius.

Exempla: *Venit mihi hoc in mentem Megadore &c. Te bovem esse & me esse asellum. Ubi tecum conjunctus siem.*

Ubi onus nequeam ferre, pariter jaceam ego asinus in luto.
Tu me bos magis haut aspernias, natus quasi nunquam siem.
Et te utar iniquiore, & me meus ordo irrideat:
Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid divortij fuat.
Asini me mordicus scindant, boves incursent cornibus:
Hoc magnum est periculum, ab asinis ad boves transcendere.

Exemplum quoq; selectissimum Allegoriæ subministrat Oda XIV. lib. I. Horat. cujus initium, *O navis referent in mare te novi fluctus!* Per navim intelligit Poëta Remp:

Ad Allegoriam pertinent I. FABULÆ, μύθοι, ἀπόλογοι, quales Æsopus nobis plures reliquit: II. Ænigmata, γρίφοι, quæ etiam passim obvia, quale illud *Sphingis, mane quadrupes; meridie bipes; vespere tripes. &c.*

III. DE HYPERBOLE.

Quid est Hyperbole?

Hyperbole est Metaphora valde sublimis: vel econtra valde depressa: adeoq; continens mediocritatis excessum.

Exempla Virg. *Illa* (mulier) *vel intactæ*
segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu lassisset aristas
Vel

Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.
In sacris Exod. c. 3. v. 13. *Dabo vobis terram fluentem lacte & melle.* Samuel. l. 2. c. 1. *Saul & Jonathan leviores fuerunt aquilis: & fortiores Leonibus.*

Plaut: *Curate ut splendor Clypeo meo sit clarior, quam soli radij esse olim, cum sudum est, solent.*

Item. *Cujus tu legiones dissipavisti uno spiritu, quasi ventus folia.* Et. *In Cappadocia, ubi tu quingentos simul, ni hebes machæra foret, uno ictu occideres.*

IV. DE CATACHRESI.

Quid est Catachresis?

Catachresis, ἀκυρολογία, est abusio Metaphoræ, & durior vocabuli translatio ad alia.

Exempla. Virg. *Hunc ego si potui tantum sperare (timere) dolorem.* Idem. *Si genus humanum & mortalia temnitis arma,*
At sperate (metuite) DEOS, memores fandi atq; nefandi.

Ita minari ponitur pro polliceri, per Catachresin.

Atque hæc fuit Metaphora cum suis Speciebus.

V. DE SYNECDOCHE.

Quid est Synecdoche?

Synecdoche est cum Universale pro particulari aut vice versa parriculare pro Universali usurpatur. Per universale seu generale intelligitur, genus respectu specierum: Species respectu Individuorum: Totum respectu partium. Per Particulare, vel speciale intelligitur species, respectu superioris generis: vel Individuum respectu superioris speciei: Et partes respectu totius.

Itaq; Synecdoche locum habet in duobus:

1. In genere, & huic Subjectis Speciebus & Individuis.
2. In Toto & hoc contentis partibus.

1. Cum ponitur Genus pro Specie.

Exemplum. Cic. *Certè in animis militum Virtus multum juvat.* Per virtutem (genus) intelligit fortitudinem (speciem.)

2. Econtra Species pro Genere.

Exemplum: Horat: *Macies & nova febrium Terrùs incubuit cohors;* id est, omnis generis morbi. Virgil. *Nec metuit surgentes pampinus Austros:* id est, Ventos in genere omnes, noxios.

II. Cum

II. Cum ponitur Species pro Individuo.

Exempl. Cic. *Sine dubio perdidimus hominem*, id est, Catilinam Ter: *'Au 'au mi homo* (Chœrea) *sanusne es?* sic συνεκδοχικῶς capitur *Apostolus pro Paulo. Poeta pro Virgilio, Homero: Orator pro Cicerone: Philosophus pro Aristotele*: Gentilitia, & Patronymica pro Nominibus proprijs: Ut *Tydides pro Diomede: Pelides pro Achille.*

2. Econtra Individuum pro Specie.

Exempl. *Xantippe aut Tanaquil, pro quavis imperiosâ & elata muliere. Aristides pro Iuste. Pœnus pro perfido. Cres pro mendace, Thrasò pro glorioso.* Cicero *Catones, Philippos, Lælios* usurpavit, pro *temperatis & sapientibus. Venus pro Amasia*, aut pulchra muliere. Ovid. *quam si te Veneris* (amicæ) *commendet Epistola Marti.*

III. Cum ponitur totum pro parte.

Per totum hoc loco intelligitur, non solum integrale, sed & essentiale, & Numerale: Ut Numerus pluralis est totum respectu singularis, qui est pars. Numerus infinitus, aut magnus, est Totum quid, respectu finiti aut parvi.

Exempl. Virgil. *Et vos ô Lauri carpam, & te proxima Myrte* Id est, partes vel ramos Lauri ac Myrti. Id: *Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tygrim*, id est, particulam de aquis Araris, Tybris. Cic. *Ex ejus Ludo (Isocratis) tanquam ex equo Trojano innumeri Principes exierunt*, id est, Multi. Tef: *plus millies audivi*: id est, pluries.

Mart: *Rumpitur Invidia, quod turba semper in omni Monstramur digito &c. Rumpitur Invidia quod amamur, quodq; probamur.* Hic pluralis pro singulari; loquitur enim de se solo: Sic vulgo dicimus, *Huc usq; telam pertexuimus, sequentem exordiamur*, id est, ego pertexui, exordiar.

2. Econtra Pars pro Toto.

Sic *Anima* sumitur pro *Toto homine*, cujus est altera pars: *Anima sicca, sapientissima*, id est, homo amans sobrietatis. Hæc locutio S. S. familiarissima est, *Gen. 46. v. 27. Actor. 7. v. 14. Luc. 12.* Haut secus & corpus accipitur pro toto homine. Ita I.C. *servos vocat corpora, quod & Aristoteles fecit.* Et Epiphan. δεσπότην ὀγδοήκοντα σωμάτων. Hor: *seu plures hyemes seu tribuit Jupiter ultimam.* hyems pro toto anno, uti apud Virgil. æstas sæpe pro anno, Cic. O Tecta misera, quam à dispari Domino tenemini! tecta pro tota domo. Virgil. *Haut*

aliter

aliter puppesq; tuæ (naves) *pubesq; tuorum.* Sic Horat. *Carinas* dixit pro tota navi. *Trahuntq; siccas Machinæ carinas,* Id: *Iracundior Adria* i.e. quovis mari tempestuoso.

Virgil. *Haut secus ac patrijs Victor Romanus in oris,* Id est, Romani: Idem *Hostu* (Hostes) *habet muros.*

VI. DE METONYMIA.

Quid est Metonymia?

Metonymia est, quando usurpatur Prius, ut, causa, pro posteriori, ut Effecto; Et vice versâ: Itemq; Subjectum pro Accidente (quod Rhetores adjunctum vocant,) & vice versâ. Per causam hic intelliguntur Efficiens, sub qua Inventor, Opifex, Instrumenta & Materia. Nam forma & finis locum hic non habent. Metonymia ergo usum habet in duobus.

1. In Causa & Causato.
2. In Subjecto & Adjuncto seu Accidente.

I. Cum ponitur Efficiens pro Effectu.

Exempl. 1. Inventor. Cum Dij perhibeantur Inventores plærarumq; artium, & rerum aliarum, familiare est Oratoribus & Poe-

tis per Metonymiam, DEOS ipsos accipere pro rebus à se inventis, ut *Bachum pro vino: Cererem pro pane & frumento. Vulcanum pro igne. Venerem pro amore. Martem pro bello. Themidem pro Iurisprudentia.*

Virgil. *Tum Cererem corruptam Undis, Cerealiaque arma expediunt*, id est, frumenta & panes. Id: *Et Venerem certis repetunt armenta diebus.* id est, congressum amatorium. Ter: *Sine Cerere & Libero friget Venus* i. e. Sine cibo & potu amor languet.

Plaut. *Vulcanum* (Ignem) *in cornu gerit.*

Virgil. *Aut dulcis musti Vulcano* (Igne) *decoquit humorem.*

Id: *Toto sævit Mars Impius Orbe* i.e. Bellum.

2. Auctorum nomina pro libris. Mart. *Pellibus exiguis arctatur Livius ingens:* Id est: Livij opus historiarum. Plaut. *Plautum vobis apporto lingva non manu*, i.e. Comædias Plauti.

Sic Vulgo dicimus *Lege Virgilium, Horatium, Moysen, Prophetas*, Intelligendo horum auctorum scripta.

3. Instrumenta. Cic. *Stilus optimus ac præstantißimus dicendi Artifex & Magister*, i. e. Exercitium per stylum scribendum. Sic sumitur *manus* pro *Scriptore.* Virgil. *Quem mea carminibus meruisset fistula caprum*, per fistulam intelli-

telligit cantionem, editam fistula, ceu instrumento.

2. Econtra Effectus pro Efficiente.

Hæc Metonymiæ species nobilis & perquam est familiaris, diciturq; proprio nomine Metalepsis. Virgil. *Quid faciat lætas segetes?* i.e. quæ homines reddunt lætos.
Id: *Tum pater Omnipotens fœcundis imbribus æther.* i.e. qui Imbres efficiunt terram fœcundam.

Horat. *Pallida mors*, i. e. faciens homines pallidos. Sic *rixæ* dicuntur eidem Horat. *Sanguineæ. Falernum severum: ira cruenta*, quod edant tales Effectus: Virgil. *Et cum tristis hyems, etiamnum frigore saxa rumperet*; id est, faciens homines tristes.

II. Cum ponitur Materia pro Materiato.

Exempl. Horat. *Non aris acervus & auri*: id est, pecuniæ æreæ, aureæ. Virgil. *aptissima fretis Abies*, i.e. naves ex abiete. Sic Vulgo usurpamus *ferrum pro armis*, *aurum pro poculis aureis*. *Cornu, pro laterna cornea.*

2. Econtra Materiatum pro Materia.

Exempl. Virgil. *Et rigidum curvæ falces conflantur in ensem*, falces i. e. ferrum.

Id: *Serta mihi Phyllis legeret*: i. e. flores è quibus serta. Horat: *Conversa in pretium DEO*, i.e. in aurum, è quo precium aut pecunia.

III. Cum ponitur Subjectum pro Adjuncto.

Accidens vel adjunctum varium est: 1. Contentum (*vinum*) est accidens continentis (*canthari*) 2. Locatum, ut (*incolæ*) vel negotia in loco gesta, sunt adjuncta loci (*urbis*) 2 Res possessæ sunt accidentia possessoris. 4. *Milites* adjuncta *Ducis*: *discipuli doctoris*.

1. Continens pro Contento: Exempla.

Virg. *Ille impiger hausit spumantem pateram, & pleno se proluit auro*. Per pateram & aurum auditur vinum ijs contentum.

Horat. *Fœcundi calices* (vinum) *quem non fecere disertum*.

Id: *Patinas cœnabat omasi Pingaui*: i.e. carnem è *patinis*.

Sic solemus dicere: *Propino tibi hunc Scyphum*: id est, vinum aut Zythum contentum Scypho.

2. Locus pro Locato, vel actionibus gestis in loco.

Exempl. Cic. *Testis est Italia* (homines ibi agentes) *testis Sicilia, Gallia* &c.

Virgil. *Hic movet Euphrates, illinc Germania bellum*. Id est: Accolæ Euphratis: & Germani.

Cic.

Cic. *Meditaris forum, rostra, Curiam*, actiones fori &c. Sic vulgo dicimus *Academiæ quidquid sum debeo*, id est, studijs litterarum.

3. Possessor pro re possessa. Exempla.

Ter: *Dionysia hodie sunt: apud me sis volo*: i. e. domi meæ.

Virg. *Jam proximus ardet Ucalegon*. i. e. domus Ucal.

Ter: *Hunc comedendum & deridendum vobis propino* i. hujus bona.

4. Dux pro militibus. Doctor pro discipulis.

Exempl: Liv: *Ab Annibale* (militibus Annibalis) *cæsa apud Cannas 60000. Romanorum.*

Plut. *Alexander M.* (ejus milites) *tanquam eluvies inundavit totum ferè orbem habitabilem.*

Sic Vulgo dicimus: *Papa Romanus* (ejus assecla) *Ecclesiam Christi turbat: Galenus & Paracelsus* (horum sectatores) *rarò conveniunt.*

2. Econtra Adjunctum pro Subjecto.

1. Contentum pro continente. Exemplum.

Virg. *Vina coronant*. i. pocula quibus continentur vina.

2. Abstractum pro Concreto. Exempla

Ter: *Tu quantus quantus es, nil nisi sapientia es.*

Plaut: *Gymnasiam flagris: Virgarum lascivia.*

Cic.

Cic. *Quæ Res Luxuries*(Luxuriosi) *in flagitiũ. crudelitas* (crudeles) *in supplicium. Avaritia*(avari) *in rapinũ: superbia*,(superbi) *in contumeliũ efficere potuisset.*

Sic Vulgo dicimus, *Tua Celsitudo, Magnificentia &c.*

3. Signum pro signato. Exempla.

Cic. *Cedant arma togæ*: i. paci, cujus toga signũ est, sicut *belli saga*: *id est arma.*

Horat: *Mors sceptra* (reges) *ligonibus æquat* (pauperibus.)

4. Tempus pro iis quæ in Tempore. Exempl.

Ovid: *Aurea prima sata est ætas* i.e. homines.

Ter: *O tempora! ó mores* i. homines malè moratos.

Plaut: *Inimicus sibi magũ, quam ætati tuæ* i.e. tibi.

5. Precium pro re æstimata. Exempl.

Plin: *Cleopatra uno prandiolo absumpsit quinquies centena millia aureorum:* i. Margaritam aceto dissolutam, tanto æstimatam precio.

Sic Vulgo dicimus. *Insumpti sunt duo, tres asses aut floreni*, Man hat vier Gülden verzehret.

VII. DE IRONIA.

Quid est Ironia?

Ironia est, cum ejus quod dicimus, contrarium intelligimus. Exemplum.

Virg.

Virg. *Egregiam verò laudem & spolia ampla reportas*: id est, exiguam aut ignobilem.

Plaut. *age tu illuc procede, bone vir, lepidum mancipium meum.* i. serve nequam.

Tropus hic in sacris quoq; usurpatus est. *Gen. c. 3. v. 22. Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* i. dissimillimus nobis: nihil sciens.

Huc pertinent illæ, quas communiter appellamus Actiones, vel subagitationes, quibus salsè aliquem ludos facimus. Exempla elegantissima leguntur apud Ter: Eun. a. 3. S. 1. 2. Et. act: 4. S. 7. Et. a. 5. S. 1. in quibus Gnatho Thrasonem mirè ludificatur. Tum apud Plaut: Mil: gl: tota: 1. S. 1. actu. Ironiæ Variationes sunt duæ.

1. Sarcasmus, irrisio, exprobratio. Exempl. Virg. *En agros, & quam bello Trojane petisti,*
Italiam metire jacens.

Juv. *I nunc & ventis animum committe dolato confisus ligno.*

Mat. 27. *Si filius DEI est, descendat nunc de cruce.*

2. Antiphrasis, cum res appellatur à suo contrario: Ut *bellum* quasi minimè bellum. *Parcæ*, quod nulli parcant: *Lucus* quod minimè luceat.

II. DE FIGURIS DICTIONIS.

Tropi, de quibus hucusque egimus, geminam

nam Vocabuli significationem τρέπουσι vertunt seu deflectunt ad alia. At figuræ, quæ dehinc explicandæ sunt, nihil de propria significatione immutant, sed aut Syllabas, aut Voces, aut integras phrases, modò aliquoties repetunt, modò Rhythmo auribus grato afficiunt.

Dicuntur hæ Figuræ aut Schemata Dictionis, eo quod dictioni soli non rebus etiam inhæreant. Aſt aliæ sunt Figuræ sententiæ, consistentes in rebus, aut sententijs, & pertinentes, ad faciendam Orationem πιθανήν, de quibus paulò post.

Quot sunt Figuræ Dictionis Rhetoricæ?

Quatuor. 1. Iteratio: cujus quinq; Varietates, Anaphora, Anadiplosis, Epistrophe, Symploce, Epanodos, ad quam referuntur Polysyndeton & Asyndeton, de quibus in præcedentibus. 2. Paronomasia. 3. Polyptoton. 4. Climax.

I. DE ITERATIONE.

Quid est Iteratio?

Iteratio est, qua Vocabulum aut Phrasis in Orationis contextu aliquoties repetitur. Prout autem illud fit, vel in principio, vel Fine, vel Medio: vel in Principio, simul & Fine: vel Indiscretim, modo hic modo illic; ita hæc varietas alijs alijsq; nominibus exprimitur à Rhetoribus. Differentiæ universim sunt quinq;

quinq; (his contenti nos esse possumus: alij fabricent quot velint.)

1. Cum in principio Orationis iteratur Vocabulum aut Phrasis, appellatur Anaphora. Exempl. Horat: *O cives, cives, quærenda pecuniæ primum.*

Virg. *O Coridon Coridon, quæ te dementia cepit.*

Id: *Pars in gramineis exercent membra palæstris.*
pars pedibus plaudunt Choreas.

Id: *Sic vos non vobis nidificatis aves,*
Sic vos non vobis fertis aratra boves.

Tib. *Quam citò purpureos deperdit terra colores!*
Quam cito formosas populus alba comas!

2. Cum in Medio Periodi repetitur phrasis, vocatur Anadiplosis, vel Epizeuxis. Exempl.

Virg. *Ex illo Coridon Coridon est tempore nobis.*

Id: *Aut littus Hyla Hyla omne sonaret.*

Id: *In morem fluminis Arctos, Arctos Oceani*
metuentes æquore tingi.

Cic: *Si in hac tua fortuna tanta lenitas esset, quantam per te, per te, inquam, obtines.*

Tales ferè sunt repetitiones, quibus vocabulum, Inquam, aut Parenthesis interponitur: ut: *Sapientissimus ille Socrates* (auditores inclyti) *Socrates, inquam, sapientissimus dicere solitus fuit &c.*

3. Quando in fine Orationis repetitur vox aut Phrasis, dicitur Epistrophe. Exempl.

Plaut:

Plaut: *Qui omnia simulat se scire. nec quidquã sciũt:*
Quod quisq; in animo habet, aut habiturus est, sciunt.
Id quod in aurem Rex Reginæ dixerit, sciunt.
Quod Juno fabulata est cum Jove, sciunt.
Quæ neq; futura, neq; facta sunt, tamen ỹ sciunt.
Aliud: *Qui ab uno nõ potest occidi, à multũ occiditur.*
Elephas grandis est, & occiditur.
Leo fortis est, & occiditur.
Tygris crudelis est, & occiditur.
Cave multos, si singulos non times.
Paul. 2. Epist. Cor: 11. *Hebræi sunt? Et Ego.*
Israelitæ sunt? Et Ego. Semen Abrahæ sunt?
Et Ego. Ministri Christi sunt? Et Ego.

Nota. Quoties non idem vocabulum, eademve phrasis, sed saltem idem sonus repetitur in Clausulis, appellatur Homæoteleuton.
Exempl: Enn: *Hæc omnia vidi inflammari.*
Priamo vi vitam evitari.
Iovũ aram sanguine turpari.
Hectoris natum de muro jactari.

Huc pertinent omnes Rhytmi, seu Latini sint seu Germani, aut alterius Dialecti.

4. Quoties in principio juxtaq; in fine repetitur eadem dictio, vocatur Symploce vel Epanalepsis. Exempl. (ta.
Virg. *Multa super Priamo rogitans super Hectore mul.*
Id: *Occidet & serpens: & fallax herba veneni occidet.*
Ovid. *Ilia pone metum; tibi regia nostra patebit,*
Teq; colent omnes, Ilia pone metum.

5. Quan-

5. Quando indistinctim iteratur vox per totam Periodum, est Epanodos: Exempl.

Virg: *Cōpulerantq; greges Corydon & Thyrsis in unū;*
Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas.

Id. *Vox quoq; Mœrin jam fugit ipsa: Lupi Mœrin videre priores;*

Id. *Crudelis tu quoq; mater—*
Crudelis mater magis, an puer improbus ille.
Improbus ille puer: crudelis tu quoq; mater.

II. DE PARANOMASIA.

Qvid est Paranomasia?

Paranomasia, agnominatio est, cum in sono quidem vocum affinitas spectatur, at significatio diversa est. Exempl.

Cic: *Tam cito, qui paulò antè Arator, jam Orator factus est.*
Jucundum est amare si nihil insit amari.

Tibull. *Quam ferus, & vere ferreus ille fuit.*

Cicero etiam jocatus est in *Verrem*, *quod omnia verreret*, & furaretur. Et alium quendam furem *Tullium*, vocavit *Tollium*, *quod tolleret furto omnia.* Epigramma hoc elegans est, quod legitur in Anthologia.

Ην ὁ φίλος τι λάβοι, Δόμινε φρατέρ, εὐθὺς ἔγραψεν:
Ην δ' ἀν μὴ τι λάβη, τὸ φράτερ, εἶπε μόνον;

Ωνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα: ἄνυταρ ἔγωγε
Οὐκὲ θελω Δόμινε, ου γὰρ ἔχω ΔόMENAL

III. DE POLTPTOTO.

Quid est Polyptoton?

Est variatio ejusdem vocabuli in casibus. Per Casus intelliguntur non strictè, aut Grammaticè saltem Casus Declinationum: sed quævis vocis inflexio in numero, persona, genere, gradu, modo, tempore, &c. Exempl.

Plaut: *Plæriq; homines, quos cum nihil refert, pudet. Ubi pudendum est, ibi eos deserit pudor, cum usus est ut pudeant.*

Id: *Justa ab injustis impetrare non decet.*
Ovid: *Causa fuit multi, noster amoris amor.*
Spectantem specta, ridentem mollia ride.
Quint: *Non ut edam vivo, sed ut vivam edo.*
Hesiod: καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτεῖ, καὶ τέκτονι τέκτων.

IV. DE CLIMACE.

De Climace actum antehac, ubi de amplificanda Oratione. Unum saltem ex sacris apponam Exempl: Epist: Rom: c. 8. v. 29. *Quos præscivit, hos & prædestinavit. Quos prædestinavit, hos & vocavit. Quos vocavit, illos & Justi-*

Justificavit. Quos justificavit, hos & glorificavit.

IV. DE ORATIONE AFFECTUS MOVENTE.

Quomodo Oratio redditur παθητική? seu quomodo affectus concitantur?

Per Figuras seu Schemata Sententiæ, quarum proprium est, Orationem ita efformare, ut auditores percellat quodam animi motu.

Quot sunt Schemata sententiæ?

Septem: Exclamatio. Epanorthosis. Aposiopesis. Apostrophe. Prosopopœa. Aporia. Prolepsis.

I. DE EXCLAMATIONE.

Quid est Exclamatio?

Exclamatio est, cum elata voce significamus affectus magnitudinem, compellando personam aut Rem.

Fit utplurimum, per Adverbia & Interjectiones (interdum etiam sine his) proposito convenientes, quales sunt, O; *Utinam*; *Ut. Proh. En. Heu. Dij &c.*

Quibus Affectibus movendis servit Exclamatio?

Pluribus: inter quos hi præcipui: Indignatio. Commiseratio: Admiratio: Optatio: Desperatio: Irrisio. Imprecatio.

Exempla Exclamantis, indignantis. Ter: *Proh DEûm atq; hominum fidem! quid est, si hæc non contumelia est.*

Id: *O cœlum! ô terra! ô Maria Neptuni.*

2. Commiserantis Virg: *Heu regni rerumq; oblite tuarum.* Idem. *Eheu, quid volui misero mihi.*

3. Admirantis. Virg: *Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames!* Cic: *O clementiam admirabilem!*

4. Optantis. Cic: *Utinam Quirites, Virorum fortium, atq; innocentium tantam copiam haberemus!* Ovid: *O Utinam tum, cum Lacedæmona classe petebat, Obrutus insanis esset adulter aquis?*

5. Desperantis. Cic: *O frustra suscepti mei labores! O Spes fallaces! O cogitationes inanes meæ!*

6. Irridentis. Cic: *O præclaram sapientiam scilicet! solem n. è mundo tollere videntur, qui amicitias è vita tollunt.*

7. Imprecantis. Ter: *Ut te Dij Deæq; omnes perdant!*

II. DE

II. DE EPANORTHOSI, seu Correctione.

Quid est Epanorthosis?

Epanorthosis est; quæ revocans corrigensq; id, quod ante fuerat dictum; substituit aliud magis idoneum.

Quibus Affectibus servit Epanorthosis?

Ardorem in Exclamatione concitatum, quasi refrigerat iterum, & moderatur. Exemplum.

Ter: *Filium unicum Adolescentem habeo. Ah quid dixi habere me, Imò habui.*

Cic: *Sed nescio quomodo ad præcipiendum delapsa sit mea Oratio: cum id mihi propositum initio non fuisset.*

III. DE APOSIOPESI, seu Reticentia.

Quid est Aposiopesis?

Aposiopesis est, quâ sententiæ inchoatæ cursus ita revocatur, ut abrupta una parte, & silentio involuta, altera pars non dicta, nihilominus intelligatur.

Quibus Affectibus destinatur Aposiopesis?

Interrumpit vel Iram, vel Sollicitudi-

nem, vel transitionem ad alia juvat. Exempla.

1. In Irâ. Virg: *Quos ego: sed præstat motos componere fluctus.*

2. In sollicitudine Cic: *An ille hujus legis mentionem facere ausus esset vivo Milone? ne dicam Consule? De nostrûm enim omnium. Non audeo totum dicere.*

3. In Transitione. Virg. *Forsitan & pingues hortos, quæ cura colendi ornaret canerem, &c. Verùm hæc ipse equidem, spatijs discluſus iniquis, prætereo, atq; alijs post commemoranda relinquo.*

IV. DE APOSTROPHE, seu Aversione.

Quid est Apostrophe?

Apostrophe est cum Oratio avertitur â proposito primario, & convertitur ad rem, ab Orationis instituto alienam.

Quibus Affectibus servit Apostrophe?

Iisdem quibus Exclamatio, cui non multum cedit, eiq; utplurimum conjungitur. Exempla.

Ovid: *In nova fert Animus mutatas dicere formas Corpora. Dij cœptis aſpirate meis.*

V. DE

V. DE PROSOPOPOEA, vel ETHOPOEA, id est personæ, aut ejus morum fictione.

Quid est Prosopopœa?

Est, qua personam aut Rem quamcunq; loquentem introducimus, eiq; affingimus Orationem. Vel aliorum verba repetimus, aut imitamur. Vel absentem, tanquam præsentem alloquimur.

Quot sunt Prosopopœæ Varietates?

Tres. 1. Cum personam loquentem nostra Oratione fingimus, quæ propriè dicitur Prosopopœa. 2. Cum aliorum Verba repetimus, diciturq; Mimesis. 3. Cum ipsi absentes alloquimur, vel absentes se invicem alloqui fingimus, diciturq; Dialogismus.

Quarum rerum Orationes æmulatur Prosopopœa?

Omnium ferè, quæ Naturæ circumplexu teguntur, ipsius etiam DEI, Naturæ, Regionis, Patriæ; Reip: Virtutum: Brutorum, parietum &c.

Quomodo instituitur Prosopo:

Tractatur secundum tria tempora: ut nempe is, cujus mores, aut loquela effingun-

tur. 1. In præsenti, conqueratur de miseriis suis quibus affligitur, vel enumeret bona sua; per Exclamationem, vel dubitationem. 2. In præterito: Ut revocet sibi in memoriam, suum vel alterius statum pristinum, eumq; conferat cum præsenti. 3. In Futuro: Ut ostendat, se metuere multò majora mala, vel sperare bona; per consolationem, vel querelam.

Quibus Affectibus servit Prosopop:?

In genere quidem persuasioni cuivis accommodatissima est: Sigillatim verò, ad objurgandum, laudandum, commiserandum, consolandum, adhortandum &c.

1. Exempl: Prosopopææ propriè dictæ.

Virg: *Æneas dictis mœrentia pectora mulcet:*
O Socij! neq; enim ignari sumus ante malorum)
præterit:
O passi graviora! (commiser) *dabit Deus his quoq; finem* (consolat. futur.) —*vos & Cyclopea saxa Experti* (laud: præt:) *revocate animos, mœstumq; timorem vertite,* (adhort. præs:)

Horat: *Teucer* &c. *sic tristes affatus amicos:*
O fortes, pejoraq; mecum passi sæpe viri, nunc vino pellite curas. Cras ingens iterabimus æquor.

Cic: *Etenim si patria, quæ mihi vita est multò carior; si cuncta Italia: si omnis Resp: loqueretur, Marce Tulli quid agis?* (objurg.)

2. E-

2. Exempl: Mimesios, aut Repetition: aliorum Verborum.

Ter: *At ego nesciebam quorsum tu ires, Parvula hinc est abrepta: Eduxit mater pro sua. Soror dicta est.* Psalm: 2. *Dicendo alloquutus Dominus est me, Filius tu meus es: genui te hodie: me posce, dabo tibi*: Huc spectant Epistolæ Heroicæ Ovidij.

3. Exempl: Dialogismi:

Ovid: Thisbe moritura alloquitur Parentes:

Hæ tamen amborum Verbis estote rogati,
O multum miseri mei, illius parentes.

Huc referendi Dialogi Luciani: Æsopicarum fabularum plurimæ, in quibus Dialogismos instituere finguntur homines, bruta, stirpes.

VI. DE APORIA, seu Addubitatione.

Quid est Addubitatio?

Ἀπορία est, cum simulamus nos animi pendere, & quærere unde incipiendum? Ubi desinendum? quid dicendum? quid eligendum?

Quis est usus Aporiæ in ciendis affectibus?

Per addubitationem suspendimus diutius, audi-

auditorum animos, facimusq; nobis attentiores, & quasi inexspectatum quid præstolantes:

Exempl. Virg: *Eloquar an sileam?*

Id: *Et quid agam? rursusne procos irrisa priores*
Experiar? Nomadumq; petam Connubia supplex?
Quos'ego sum toties jam dedignata maritos?

Cic: *Quid primum querar? Aut unde potissimum exordiar? Aut quod, vel à quibus auxilium petam? Deorumne immortalium? Populine Romani?*

VII. DE PROLEPSI, seu Præoccupatione.

Quid est Prolepsis?

Prolepsis est eorum, quæ opponi nobis possent, anticipata commemoratio, (Græc: προφορὰ) & huic addita, per convenientem responsionem dilutio (ἀνθυποφορὰ,) seu brevius: Est prævia objectio, & objectionis solutio?

Quis Usus Prolepsios in Affectibus?

Præcipuus usus est, ut Animi Auditorum liberentur, partim à præconcepta opinione; partim à dubietate, quæ poterat eorum affectus flectere, ad partem contrariam: Estq; hæc figura proœmijs valde accommodata. Exempl.

Cic.

Cic. *Credo ego vos, Judices, mirari, quid sit, cum tot summi Oratores sedeant, ego potissimum surrexerim: (hæc est objectio ὑποφορὰ) Id: Quæris à nobis Grache, cur tantopere hoc homine delectemur? (objectio) Quia suppeditat nobis ubi & animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, & aures convitio defessæ conquiescant* (responsio.)

IV. DE PRONUNCIATIONE.

Quid est Pronunciatio?

Est ultima è partibus Orationis Rhetoricæ, qua Orationem animo aut scripto comprehensam, ornatè & convenienter pronunciando efferimus.

In quibus consistit Pronunciatio?

In duobus. 1. In vocis Moderamine, id est, congrua elatione, aut depressione. 2. In gestuum corporis decenti conformatione.

Hanc Rhetorices Particulam operosis regulis præceptisq; comprehendere: comprehensam novello Philorhetori inculcare, mera est insipientia. Cum enim non tam θεωρίας, (qualis è libris petitur,) quam usû, exercitatione & experientiâ totâ absolvatur, præsenti Informatoris manuductione, aliorum Oratorum observatione, & ἀυτοψίᾳ, multò rectius, commodiùsq; apprehendetur.

FINIS EUPHRADIÆ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728212315/phys_0243
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn728212315/phys_0248
DFG

2. Exempl: Mimes
tition: aliorum
borum

Ter: *At ego nesciebam qu* … *parvula*
hinc est abrepta: Eduxit mate … *licta est.*
Psalm: 2. *Deinde allocutus* … *, Filius*
tu meus es: genui te hodie: m … Huc
spectant Epistolæ Heroica

3. Exempl: Dia
Ovid: Thisbe moritura … rentes:
Hi tamen amborum Ver …
O multum miseriq; mei, …
Huc referendi Dialogi I … icarum
fabularum plurimæ, in … gismos
instituere finguntur homi … pes.

VI. DE APOR … du-
bitation

Quid est Ad …

Ἀπορία est, cum si … animi
pendere, & quærere und … m? Ubi
desinendum? quid dicend … ndum?

Quis est usus Apor … *f-*
fectibu …

Per addubitationem … liuties,
audi-

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE163 Serial No. 077
Patch Reference numbers on UTI
C1 B1 A1 C2 B2 A5 B5 A2 20 18 17 16 11 10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
4.5 5.0 5.6 6.3
Inch mm
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728212315/phys_0249
DFG